Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Petrus Musaeus

Libellus De Aeterna Beatitudine Et Huic Opposita Damnatione, Ut Et De Morte Et Resurrectione, Memoriae Perillustris ex antiquissima Wischiorum prosapia, Et Omnibus Corporis Animique Dotibus Eminentissimae Matronae B. Mettae Kielmanniae Consecratus

Kiloni[i]: Reumannus, 1674

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522305

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522305/phys_0001
DFG

52 b. 4.

82.

313.

Fa-1092 (82.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522305/phys_0002
DFG

LIBELLUS

DE ÆTERNA BEATITUDINE ET HUIC OPPOSITA DAMNATIONE, UT ET DE MORTE ET RESURRECTIONE,

Memoriæ

Perillustris ex antiquissimâ Wischiorum prosapiâ,

ET OMNIBUS CORPORIS ANIMIQUE DOTIBUS

Eminentissimæ Matronæ

B. METTÆ KIELMANNIÆ

Consecratus

à

PETRO MUSÆO S. Theol. D.

KILONI,
Imprimebat Joach. Reumannus, Acad. Typogr.
Ao. 1674.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522305/phys_0005
DFG

EPISTOLA CONSOLATORIA
AD.
SUMME. REVERENDUM. PER-
ILLUSTREM. ET. GENEROSISSIMUM.
DOMINUM.
DN. JOHANNEM. HEN-
RICUM. KIELMANNUM.
A.
KIELMANSECK.
DYNASTAM. HÆREDITARIUM. IN.
QVARENBECK. KROONSHAGEN. ET.
MARUTENDORF. &c.
COENOBII. NOBILIUM. SLESVICI. MONIA-
LIUM. PRÆPOSITUM. NEC. NON. CATHEDRALIS.
IBIDEM. ECCLESIÆ. CANONICUM.
SERENISSIMI. SLESVICI. ET. HOL-
SATIÆ. DUCIS. REGENTIS. SUPREMI.
ETC. ETC. ETC.
SENATOREM. PROVINCIALEM. ET. A. CON-
SILIIS. SANCTIORIBUS. PRIMARIUM.
PRÆFECTUM. KILONIENSEM. ET. BAR-
DESHOLMENSEM.
DOMINUM. ET. PATRONUM.
SUUM. OBSERVANTER. COLENDUM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522305/phys_0007
DFG

Salutem à DEO, & præsentissimam
post tam acerba fata opem!

SIve luctûs, PERILLUSTRIS DOMINE, in quem immatura *Beatissimæ Conjugis* mors TE totamq; Illustrem familiam conjecit, magnitudinem considero; sive compellantium hodiè, & condolendi officiis certantium fastidiosam multitudinem circumspicio; sive denique recentem tristissimi funeris jam in animo, in oculis, in phantasiâ oberrantem imaginem intueor: næ absterrere singula me poterant, quò minùs non dicam occurrere, sed ne intercurrere quidem auderem dolori illi TUO; cujus acerbitatem, cùm omnia aliàs minuat tempus, ne longa quidem dies hactenus multùm potuit lenire. Sed animat me, & in spem admissionis erigit invictum illud animi robur, quô Virtus TUA contra adversa quæque se munit; dum medios inter suspiriorum abeuntium redeuntiumq; singultus, quiescenti similis, adeò non repellis pietate functuros, ut etiam invitantia limina se illis proferant. Etsi sanè mors neque purpuræ & sceptrorum reveretur majestatem, neque pannosorum & vilium mancipiorum sordidata pallia fastidit, sed summos imosq;, vixdum natos communi pereundi legi subjiciens,

ciens, festinantibus fatis evocat: permagni tamen & ad exemplum interest, & ad pietatem, quis cui funus paret, nec publicè tantumdem refert, quem amissum quis lugeat, ac cujus desideriô quantoperè teneatur. Dolentiùs afficiuntur parentes, cùm liberos, quàm liberi, cùm parentes amittunt; ob majorem, quâ natura conjunxit, sanguinis propinquitatem & necessitudinem. Omnes autem inter calamitates, & propinquorum mortes, quibus subinde contristamur ac percellimur miseri, nescio an ullum magis torquere fatum possit; quàm quod TIBI, Domine, infortunatissimô illô momentô evênit, quô nunciatum est, jam devixisse, jam ereptam esse suavissimam Conjugem, quæ æternitatem merebatur. O infelicem, nec unquam satis deplorandam diem, quâ aures nostras adstrepuit tam tristis nuncius! Unum quidem malum, quatenus unius mors est; sed quod sexcentis aliis se æquat, & cujus unius impetu exundasse in Illustrem familiam videtur, quidquid timeri in hâc vitâ mali poterat; dum divulsa â latere TUO est, quæ altera cordis TUI erat portio. Quò minùs mirari subit, altè in pectus descendisse gravem hunc dolorem, & in ipsis animi visceribus cunctisq; artubus infixos hærere mœroris huc illuc jactantes quasi fluctus. Neque, si rectè & ordine faciunt, qui

modum in luctu præcipiunt; noſtrum etiam ii merentur ſuffragium, qui indignas Chriſtianô homine cenſent lacrumas, quas dolendi quaſi quædam voluptas, neſcia ſervare modum, extorquet. Multò minùs probantur voces, in luctu vitium, in fletu peccatum, in dolore nefas quærentium. Si quid tale aliis in caſibus improbum vel nefandum fuerit; dicamus hîc, cùm fata præſentia lugemus, non id licere modò, ſed & maximè decere; ut adeò, ſi usquam, hîc ordinem rerum invertiſſe natura videatur. Enimverò quis nos vituperet, cùm ad exſequias omnibus dotibus Ornatiſsimæ Matronæ, ademtæ deſideriô virtutis incitati, beatis cineribus, quæ ſola, heu! poſſumus & debemus pietatis officia, lacrymas, planctus, lamenta ſolvimus? At ſi tam feri acferrei pectoris homo à genitrice optimarum rerum naturâ edi poteſt, qui tantâ luctûs acerbitate non commoveatur; non illa exanimata oſsa perhorreſcat; næ hunc non tantùm ex humani generis numerô proſcribendum, ſed quâvis beſtiâ pejorem eſse judicarem. Si aliàs unquam, hodie argumentum pietatis præbet luctus: luxiſsent caſum & majores, ſi ſibi obveniſset; lugebunt & poſteri, ſi recordabuntur, ipſum dolorem latum habituri campum, in quô virtus ſua excurrat. Quò enim quisque virtutis ſtudio-

diosior est, eò fortius luget funus, quô ereptum est, quod velut singulare virtutis exemplar alii inspicerẽt, ac imitandum sibi proponerent. Quin etiam nos invicem nunc excitamus, nunc excitamur, ad doloris certamen, dum sibi quisque quasi non cessurus, victoriam destinat, & ex lacrymis lauros, quasi testes gloriæ & indices virtutis adaptat. Hæ lugentium voces, hi lamentantium, nec mitiùs, quàm in Thebanô furore ululantium clamores, quid mirum, si hodie aures nostras percellant? Quid prohibemur lacrymis? Aut quid desultoriè exercemus luctum, quem pietas imponit? quem omisisse prævaricantium est. Animum igitur & vultum habitumq́; ad tristitiam componentes, transigamus hos dies, hæc tempora, inter lugubres sermones, inter noctes insomnes, & quasi inter cruenta sauciati pectoris vulnera. Omni denique mœrentis animi notâ explicet se dolor, & quisque ad exemplum lugentis Trojæ cineres Hecubæ in hæc verba prorumpat: *Nunc nunc vires*
Exprome dolor: vicina sonent
Littora planctu; habitansq́; cavis
Montibus Echo, non (ut solita est)
Extrema brevis verba remittat;
Totos reddat vocis gemitus,
Audiat omnis pontus, & æther.
Sævite manus, pulsu vastô
Tundite pectus. &c. Sen. in Troade Act. 1.

Quocumque circumtulerimus oculos, nil nisi horrenda luctûs imago obversabitur: resonat clangore lugubri totus Holsaticus aër, nec ulla Cimbriæ pars, nullusq; angulus dolore hodie vacat. Luget PRINCEPS, de quô optimè est merita KIELMANNIANA Domus; quòd quodammodo se spe suâ frustratum videt; dum erepta est, cujus ex consortiô speranda erat numerosior proles, quæ olim PRINCIPI æquè feliciter posset esse à consiliis. Mœret Equestris ordo, quem, qui nunc inundat Holsatiam dolor, ingenio suo propiùs admovit; dum alii Sororis, alii Cognatæ, alii Affinis consuetudinem, & illas dulcissimas in congressibus veneres, in colloquiis comitatem, in moribus modestiam, ac prope innumera interceptæ familiaritatis bona, sed frustra suspirant. Alii verò, quos non necessitudinis vinculum ad publici sensum doloris trahit, trahit virtutis amor, postquam eam amiserunt sociam, in quâ virtutum tituli omnem modum fœminei sexûs communemq; laudem supergressi videntur fuisse. Dolent cives, quibus sæpius contigit non sine admiratione cernere insolitæ virtutis fastigium, omni spectaculô pulchrius. Lamentantur ruricolæ, quos larga Dominæ foverat liberalitas. Imò illa ipsa exanimata & sensu carentia tecta, parietes, plateæ, prædia,

dia, ſubditiq; lares nonne ingentem quandam luctûs ſpeciem præ ſe ferunt? Adeò infecit blandum doloris venenum, & luxurioſa lugendi libido, omne hominum, ſub Cimbricô Sole calentium, genus; ut nemo ſit, qui non ſe peccare exiſtimet, niſi publicô doloris ſenſu tangatur. Imò eò deventum eſt, ut nihil in tantô omnium ſqualore & luctu ſuperſit ſolatii, niſi ipſa communio & æqualitas. In quâ hæc una ſe offert differentia ac diſſimilitudo, quòd alii dolorem ſuum publicè declarandum, alii premendum eſſe judicant. Utrumque à religione imponi; utrumque à pietate juberi crediderim. Ita, dum quisque pro conſcientiâ agit, quisque etiam quod ſuarum eſt partium, diverſis officiis expleviſſe videbitur. Non enim illos arrogans & ſupra merita magnificè de ſe ſentiens, ad hoc arduum officii genus, attollit audacia. Non hos ab eôdem vel ad pia quæque torpens inertia, vel injuſtus & degener timor abducit. Quos ſive obſequii promtitudo, ſive ingens ſupra modum luctûs atrocitas, ad proferenda declarandaq; non obſcurè latentis triſtitiæ ſigna, nunc excitat, nunc impetu quôdam impellit, ut communicatione doloris immoderatè lugentibus afferant ſolatium: illis quod videtur robur, quæ magnanimitas ineſſe, dum alios conantur erigere, tantum abeſt, ut reverà inſit, ut potiùs

potiùs cum impotentiſsimis quibusque ſolatio ipſimet indigeant. Hos fortes dixeris, qui ſolantur, ut ſolatium quærant? qui impetum doloris intrinſecus furentis non ferrent, animi imbelliâ victi an mollitie, niſi emisſis in publicum querelis, merſum dolore cor, aliquô modô levari animadverterent? At quos ſcrupuloſa pietas ad tacitos luctus damnat, quamquã illos etiã, procul à fortitudinis ingenio, hic ingens metus invaſit, ne ſolando deficiant, deficidẽo lugentibus nõ ſolamen, ſed doloris augmentum impertiant; minus tamen molles timidiq́; , certè tolerantiores videntur, quòd colla non ſubducunt impetentibus luctûs procellis, ſed tantò majorem, quantò ſecretiorem, ſæviendi in ſe vim, tantoq́; diutiùs permittunt, quantò minùs cum aliis communicant. Quamquam poſteriorum ordini ut me adſcribi cuperem, eò magis videbar obligatus, quò mihi juſtiorem majoremq; timorem conſcientia mediocritatis imperabat, & virium ratio, animiq; proſtrati hæſitantia admonebat: diu obluctantem nihilominus tandem me vicit dolor undique erumpens, ut ille ego, qui minimè par ſum TUO, DOMINE, leniendo dolori, ſpecie ſolaturi, ſolatium quærerem. Itaque factum eſt, ut eadem doloris magnitudo, quæ me debebat rejicere à conſolandi officiô, magis magisq́; ad idem incitaret;

ret; egoq̃; impotentiam mēam cum conatu, timorem cum audaciâ, dolorem cum solatiô, res diversissimas jungerem ac sociarem. Quibus, cùm singulis, tum universis, in diversa me trahentibus an abripientibus (tanta affectuum vis) quid aliud metuendum est, quàm ne in ipsô limine ultra vires ausa succumbant? Et qui nunc medici partes acturus prodeo, mox ipse ægrotus vereor, ne remedium daturus renovem, quæ coaluerant vulnera, ac recrudescentes cicatrices exulcerem magis, quàm ullis fomentis leniam. Utut sit, juvabit conscientiæ tranquillitatem, etiam dum defecero, pro viribus egisse, maluisseq̃; quamvis simplici pietatis officio defungi, quàm improbum silentii crimen incurrere. Quare si illi, quod suscepi, muneri vel in propria sævientis viscera tristitiæ culpâ, vel balbutientis vitio infantiæ, quarum utraque tanto dolori leniendo minùs idonea verba subministrat, minùs suffecero, affectûs imbelliam viriumq̃; defectum & promtitudine voluntatis, & justi innocentiâ doloris solabor. Neque enim me latet, quàm ardua res sit, vel leviter ægrotantem animum à sollicitudine & angoribus abducere. Verùm TE, Domine, cujus jam quadam rubigine obductus dolor mediocritatis claustra laxavit, cùm afflictam supra modum putas fortunam Tuam, cùm dolendum & lacrumo-

sum, lacrumis imò cunctoq; dolore acerbius paras funus, cùm denique quoddam immoderatius lugendi privilegium, quandamq; specie pietatis sibi blandientem licentiam videris esse nactus; TE, inquam, ut confirmemus, ut ab enormis consuetudine luctûs adeò reluctantem reprimamus; non tantùm arduum & difficile, sed humanis eloquentiæ viribus majus esse existimaverim. Stetit jam inde à primis incunabulis in flore, cum ipso annorum progressu aucta felicitas TUA, nihilq; nisi prospera fata, & felices rerum eventus occurrunt, perlustranti percurrentiq; annales & diaria exactæ feliciter & sine labe vitæ TUÆ, quæ stupor & admiratio omnium cordibus impresit, ut non operosâ lectione ex voluminibus historicorum conquirenda sint, sed cuique & statim obvia in cunctorum memoria, in oculis, in luce versentur. Vix eras in has lucis oras editus, cum largiter dispensante in TE, quæcunque in hominem cadere possunt, munera Numine, læta venturæ sementis auguria, parentum gaudia, plausus amicorum, nec aberrans, in splendido illo nativitatis Tuæ spectaculo, à civium judicio Principis suffragium exciperent. Primum inde, de TE augurantium magnum præclarumq; omen, animos in minimè vanas spes, nec dubii eventûs præsagia erexit, quòd ipsa TIBI natura pro-

prospexerat, ne extra domum operosè magna exempla essent quærenda, quæ TIBI imitanda proponeres, ad quorum vitam mores Tuos componeres, sed paternarum maternarumq; virtutum miracula Illustris illa Vestra domus suppeditaret. Nec TE tantorum nominum, quæ jam tum omnium in se venerationem concitaverant, præstitisti degenerem, mox in ipso vitæ limine proferens & ostentans, cujus generis, cujus sanguinis, & denique qui futurus esses, si illa veniret ætas, quâ insignium splendor, parentum dignitas, dataq; in tenerâ ætate de TE spes, ad magna quæque & eximia, ad digna æternitate opera æquataq; paternis virtutibus merita, impetu quodam, incitare possent, imò ultrò currentem protruderent. Mox, inquam, plurima, & penè dicam, innumera generosæ in TE mentis, materno lacte innutritæ, ac paterno sanguine propagatæ, specimina, illatâ quâdam naturæ vi, ultrà quàm per ætatem licebat, edidisti. Auctâ deinde cum ætate industriâ, & adultioribus annis succrescente virtute, cum jam vivis operibus, ista TUA indoles, operumq; miraculis longè lateq; se explicaret; quid mirum si primùm ingruente, mox pleno sidere, non destituta illis, quæ meruerat, præmiis, & secundantibus fatis, clariùs illuxit, & omni splendore majus stupenti terrarum or-

bi lumen offudit. Cujus undequaque emicantibus radiis quoque perculsus Princeps quos non dignos meritis titulos, quos non virtutibus TUIS honores decrevit, adauctus, si augeri posset, quod jam tenes fastigium? An novercantis fortunæ perfidia ludibria in TE sua unquam exercuit? aut si exercuit, an & quousque nocuit? Annon potiùs cœca illa Dea, quam mobili globo innixam Poetæ finxerunt, propitio vultu, quasi nunquam cessura, adhæsit lateri TUO? Cujus inexorabile Numen sæpius gentes nec editis in superbam molem templis, nec exstructis altaribus, nec positis statuis, non sacrificiis, non votis, non precibus placare potuerunt; eadem mitis & blanda, ad pedes provoluta TUOS, DOMINE, TE etiam quiescentem, imò contemnentem visa est adorare. Hæ scilicet instabilis artes fortunæ, hi doli sunt, ut fugiat sequentes se, fugientes sequatur. Soleo mihi sæpius, quoties abducentia à studiis otia me jucundâ recordatione meritorum TUORUM permulcent, TE triumphali curru albentibusque quadrigis invectum, ab altero latere virtute, ab altero fortunâ comite stipatum imaginari. Quo quidem spectaculo splendidius ne luxuriosa quidem Veterum Romanorum pompa potuisset adornare. Sed longè pulchrius, omniq; majestate gravius spectaculum,

ad

ad tam insolitum splendorem stupentium oculis se ingerit, cùm in tanta omnium rerum affluentiâ non victrix TE fortuna ducit, sed victa à TE, & subjugata, in triumphum adducitur. Quotusquisque fuit vel mediocriter felix, qui omnes Syrtes & quavis Charybdi pejores illecebras invitantis ad vitia abundantiæ, innoxio casu, evitaret, & nec ad avaritiæ, nec ad ambitionis, nec ad luxuriæ scopulos allideret. TE verò in altissimâ illâ felicitate, quâ plures Equestris Ordinis viros superas, à nemine facilè superaris, quàm à vitiis præstitisti intactum, quàm integram ab omni labe, & sartam tectamq; servâsti domum TUAM? Satis, satis probata erat in secundis virtus TUA, cui hoc unum ad consummatæ fastigium laudis deesse videbatur, quòd nondum adversis experta, nondum infestis Parcarum telis exercita, neque adeò confessis indubitatisq; constantiæ notis illustrata, & propiùs inspecta fuisset. Permisit igitur fatorum arbiter ac moderator triste illud tempus, quo adversantia animum exercerent mala, TIBIq; probandæ fortitudinis ac magnanimitatis materia, quò difficilior, eò prolixior subministraretur. Magnum sanè vulnus inflictum est, dum erepta est conjux; sed atrocius, dum ea conjux, quæ & conjugalis in TE amoris fide, & antiquissimi nobilitate generis, & absolutis supra

ſexum ſexusq́; jura virtutibus ingentem de ſe famam, immortales laudes, dignosq; æternitate titulos, non tantùm per hos Cimbricæ terræ terminos, ſed per omnem ferè Germaniam obtinuerat. Cujus equidem immortalibus in Maritum, in liberos, in Equeſtrem ordinem, in omne hominum genus meritis, quis dignas laudes effinget? aut invenire ſe poſſe, nimis vanâ eloquentiæ fiduciâ ducatur? Ego certè, non ſi cuncta corporis mei membra humanâ voce reſonarent, & omnes artus in ora quædam Circæâ mirabilior metamorphoſis verteret, me, beatæ METTÆ ſurgentibus ſupra humanæ conditionis faſtigium dotibus, ullum verborum magnificentiâ ſplendorem afferre poſſe ſperarem. Si tanto Nomini nihil humilitate ſtyli detraxero, nec nativum propriis colluſtratum radiis decus balbutientis infantiæ culpâ detriveró: propè abeſt, ut exclamem, me tantum adſecutum eſſe. Sileat hîc ipſa, quæ ſe magno elatam ſupercilio oſtentat, Veterum Romanorum eloquentia, quæ immortalem famam à ſuis artibus, adſpirantibus ad æternitatem, non ſine inſigni audaciæ notâ, polliceri audet. Ecquid enim illi ab humanâ laude adſtrui poteſt ornamenti, quæ omni laude excelſior eſt; cujus etiam virtutes humanam ſortem egreſſæ, vulgares communesq; laudum titulos adſpernantur.

Scio

Scio figmenta Poetarum ingeniis delectandis inventa, quædam nonnullis illustribus fœminis imposuisse numina, ob singularia sive naturæ, sive fortunæ, sive virtutis, proximaq; miraculis dona, quæ ad nostra usque tempora historicorum traditio bene de posteris meritura traduxit. Quæ dum sint vera, sunt singula: neque enim ea jam exporrecto trutinabor labello: Sit Veneri egregia supraq; fidem eminens pulchritudo: consecret Palladem inscrutabilis sapientiæ abyssus: Junonem divitiæ, & perennantis sine exemplo felicitatis gaudia ornent: dum beata KIELMANNIA possideat, quicquid cultu, laude, admiratione dignum judicatur. Hæc ingentis speciei formam cum pari animo miscuit: Hæc illustrem thalamum castis tædis suis illustriorem reddidit: Hæc feliciſſima numerosæ sobolis genitrix, quas non Marito spes, quæ non gaudia attulit? Huic quanta cura educandæ, & ad suas virtutes formandæ prolis quanta solicitudo fuit? Hæc omnibus famulantis turbæ domesticis quo exemplo præluxit, quibus moribus præivit? Hæc prudentiâ Oeconomicâ, quâ ad stuporem vulgi excelluit, adeò scivit res familiares, ut optima Materfamiliâs, disponere atque ordinare, ut quocunque verteret oculos, res suas florentes, & in summo felicitatis culmine stantes cerneret. Huic maxi-

maximam felicitatis ſuæ partem debet ſubjecta ruſticantium manus, quos jacentes ac depreſſos quibus non ſolatiis erexit? & ad melioris fortunæ incrementum quâ liberalitate, quo præſidio, quâ propenſiſsimâ voluntate pauperculos provexit? Cedant ergo tantæ fœminæ, quascunque ut multarum virtutum ſterilis, ita ad ſingulas ſtupens celebravit antiquitas, easdem quaſi in decus ſeculi ſui venturis oſtenſura temporibus. Cedat conjugali fide Penelope: cedat pulchritudine Helena: cedat caſtitate Lucretia: cedat prudentiâ Semiramis. Beatæ KIELMANNIÆ, quidquid eminens & excelſum, quidquid felix & ſplendidum, quidquid mirabile & magnificum humana ſors ſperare poteſt, ſingulari ſe inſinuans gratiâ Divinum Numen, largiſsimè indulſit, cùm inchoaſſet tanta munera natura, perfeciſſet fortuna, virtus abſolviſſet. Itaque quidquid in aliis non ſolùm in laude poni, ſed etiam duci in gloriâ ſolet, hîc ne ultimam quidem laudis gloriævè partem eſſe arbitrari convenit. Quare ipſa multitudine obrutus & confuſus ambigo, quid in tanta virtutum abundantia prius, quid poſteà prædicem. Sentio enim nihil poſſe tam illuſtre dici, quod non eorum, quæ dicenda reſtant, fulgore inumbretur. Quid ergo? an antiquitatem generis, & illum jam à tot ſeculis illuſtrem

infigni-

insignium splendorem referam? Sed æstimabilior virtutum splendor in proprias laudes dictionis nostræ partem potiori jure abripit. An dona corporis, & illud eximium formæ elegantissimæ decus, quod laudari cumprimis in sexu fœmineo solet, perstringam? Sed pulchrior animus, dignusq; tanti corporis hospes, jubet in illam partem me ire, quæ melior & cœlestior est. An blandientis fortunæ risus, vultusq; non ullâ notabili tempestate turbatos demirer? Sed pietas, mansuetudo, prudentia, liberalitas, vera illa & propria non morituræ mentis bona, quantæcunque fortunæ capacia, non à propitiis fatis, quorum dona extra fruentium laudem sunt, quicquam elogii, nisi quatenus despiciunt ea contemnuntq;, nanciscuntur. Rhetorum mos est, quoties illustrium laudandorum Virorum occasionem subministraveris, illos à generis antiquitate, à præclaris Natalibus, & à repetitâ ab ultimis initiis nobilitate, cothurnatæ eloquentiæ fastu prædicare; non secus ac si ad perfectam consummatamq; laudem aut unum aut præcipuum momentum esset, ex nobili prognatum familiâ avos atavosq; inclytos & glorioſos habuisse. Quorum ego licet institutum non omninò improbaverim, cùm illos quidem laudant, quorum inopiæ ab alienâ virtute petendum est præsidium, ut

ramorum ſterilitatem radix fœcunda compenſet; Mihi tamen de beatâ METTA KIELMANNIA, natâ quantumvis de Splendidâ & ſatis antiquâ WISCHIORUM ſtirpe, dicturo, non ut eundem morem ſequar, perſuadere poſſum. Eſt ſuus nobilitati honor, & Natalibus dignitas: ſunt ſigna antiquitatis inſignia, quibus Equeſtris ordinis Viri in excelſo quodam lucis faſtigio poſiti, ipsâ viam ad gloriam muniente naturâ, à plebejâ illâ hominum fæce ſegregantur, ſummamq; præ aliis venerationem, quantumvis non ſuis meritis, arcanâ quadam vulgi opinione ac reverentiâ conſequuntur. Quemadmodum autem minora lumina ſcintillantesq; Stellas majorum ortu ſiderum inumbrari obſcurariq; videmus, & ſicut ebur Lunæ aureus Solis fulgor abſcondit: Sic inſignium ſplendori, qui ab omni retrò memoriâ longoq; ſeculorum tractu nulli obnoxius decremento ſtetit illuſtris, neſcio quas tenebras, irradians pleno ſidere, propria KIELMANNIÆ virtus offundit. Pulchrum quidem & eximium eſt, ex Equeſtri ordine avos atavosq; numerare, & conſpectis tot illuſtribus majorum imaginibus, ad æmulantia paternarum virtutum opera, quoties vel indormiveris deſidiæ, vel ad devia vitiorum deflexeris, poſſe velut ex ſomno excitari: ſed longè pulchrius, omniq; Nobilitate

litate sanctius ac venerabilius est, quòd Beata METTA eos Equestris Ordinis titulos, illudq; Nominis decus, quod sorte nativitatis obtinebat, suis insuper meritis sibi vendicavit, ac duplici jure assumsit. An dubium est, quin illa, cui sublime ingenium, cui igneam & quantæcunque capacem molis mentem, cui promtum in virtutes animum, is à quo omnis boni fluunt auspicia, erat largitus, etiamsi dissimulâsset Nobilitatis gloriam, nihilominus suis nobilitata dotibus illustres titulos, & ituram in omnia secula famam meruisset? Sic mixta cum virtute Nobilitas, cum Nobilitate virtus, junctis radiis, clariùs illucescunt, & splendoris sui vim ad ultimos terrarum tractus, nullo obstante, nullo impediente, extendunt. Inde oritur dignum memoratu, dignum admiratione spectaculum, quo vile & sordidum, nec tam invidiæ quàm stuporis capax vulgus, sæpiùs venerabundum ad nobilitatæ virtutis sidus è suis latebris tollere lumina cernitur, sed mox præstrictâ mentis acie, & retortis oculis, ad terram, ad infectas sordibus sedes rejici, quibusq; semel pollutum est, desperatâ æmulatione, fæcibus inhærere. Sed ne nos videamur antiquitatem generis, quæ omnibus aliis sancta veneration nis jura imponit, soli minùs reverenter habere, & profano silentio temerare: Non omnino tacendum erit

de WISCHIORUM familiâ, in quâ nihil mirabilius, quàm quòd ipsa vetustas, quæ cœtera omnia solet delere, illi ne quidem ullâ ex parte situm allevit. Non enim nostrâ demum ætate, aut hominum memoriâ, Equestris Nominis decus obtinuit, sed replicantibus Cimbrorum annales, jam à multis seculis, nati ex hâc familia Equites belli pacisq; artibus illustres, multarum rerum usu experti, nec nulli literis tincti, ac præstantes ingenio Viri, nec cæterâ laude destituendi suâ, sistuntur. Uti autem à rebus gestis ac virtutum meritis orta est omnis Nobilitas: ita quando primùm jactis gloriæ fundamentis splendorem suum explicare WISCHIORUM Domus cœperit, vix retrò ad Aboriginum secula recurrens humana subductio invenerit. Satis autem antiquum est, quòd adeò longè abest ab initio, ut in primam ejus originem penetrare, inquirentibus sit negatum. Mihi equidem non integrum fuit, evolvere prisca eâ de re monumenta, sed desultoriâ repetenti memoriâ Holsatorum Equitum nomina, illud statim occurrit, quod diariis ineuntis seculi decimi tertii de Siegfrido à Wisch honorificè proditum est. Cùm scilicet id temporis Illustrissimus Comes Johannes Civitatis Hamburgensis privilegia (ita enim fertur) confirmaret: quanta ibi tum fuerit laudati Equitis auctoritas, pensitanti

id

id argumento est, quòd pluribus cum Ducibus, Comitibus atque Episcopis dignus fuit habitus, qui pactis in expeditiorem securitatem fidei testimonium perhiberet. Inde pervetusta WISCHIORUM stirps, continuatâ per omnes annos, & deductâ usque ad nostra tempora Nepotum & Pronepotum serie, felices perennantis nullisq; obfuscatæ nebulis gloriæ progressus experta, quot religiosos Episcopos atque Antistites, quot invictos Heroes, quot expeditionibus bellicis vel Aulicis natos factosq; Viros protulit? Heldericus primus fuit ex hac domo, qui in Schlesvicensem electus Episcopum, à splendore insularum, quibus per ipsos sedecim annos redimitus fulsit, ingens & egregium familiæ suæ decus arcessivit. Cujus ex intervallo vestigia presit Detlevius, qui & ipse Ecclesiæ Cimbricæ clavos, sacrataq; litui jura, octodecim annos, non sine laude, feliciter administravit. Plures conventibus Principum, nunc testium munere functuri, nunc legationis Sacramento muniti, interfuerunt, neutiquam admovendi, nisi virtutis suæ meritis inclaruissent. Si à suprà laudato Siegfriedo gloriosæ memoriæ discesseris, Marquardum Wischium Equitem auratum memorant Annales literis transactionum inter Regem Daniæ Waldemarum, & Gerhardum Holsatiæ & Schawenburgi Comitem interfuisse.

fuisse. Sed & Goschius à Wisch pacta Nobilium Hummelbuttelensium, cum Senatu Chilonienſi, ſui teſtimonii robore munivit. Quin & Wolfgangus impetratam à Bernhardo Duce Schleſwicenſi, Comiteq; Holſatiæ, privilegiorum Eccesiæ Schleſwicenſis confirmata jura ſubſcriptione ſuâ obſignavit. Nec non Nicolaus, qui ſeculo decimo quinto floruit, literarum, quibus inter Johannem Regem Daniæ, & Fridericum Ducem Holſatiæ, de diviſione hærditariarum ditionum ac Ducatuum Holſatiæ actum eſt, teſtis locuples omniq; exceptione major appellatus eſt. Aliqui etiam de Wiſchiorum ſtirpe, in bellis Ditmarſicis, & in illis præcipuè, quæ primis ſeculi decimi quinti initiis exarſerant, patriæ ſalutem ſanguine, immortalemq; famam morte redemerunt. Nec nulli Sereniſsimo Principi à conſiliis, & obſequiis Aulicis fuerunt: quorum ex numero memorandus venit Magnus ille Nicolaus de Wiſch, Dominus in Glaſſow, & Conſiliarius, ſeculi proximè elapſi decus atque ornamentum, qui ſemel ad decidendam agitatam Johanni Duci cum Friderico II. Daniæ Rege controverſiam, à Duce ablegatus eſt; & iterum conventis de hæreditate ſuprà laudatorum Principum pactis Flensburgenſibus magnâ cum laude interfuit. Augent gloriam Pogwiſchiorum Wolfiorum-

fiorumq; illustres res gestæ, ac merentia æternitatem facta; sive eadem est illorum, quæ Wischiorum familia, ut creditur, sive eadem habuit initia. Quorum quidem omnium merita, nullo obliterata temporum tractu, velut nova ac recentia, & quasi quæ hodiè geruntur, hærent in animis hominum; loquerentur, si possent, infecti cædibus campi; palatia Principum prædicarent. Neque ulla dies aut ætas tantarum rerum memoriam aut delebit, aut minuet. Quin imò semper obversabuntur oculis nostris nunc indefessæ pro ecclesiâ vigiliæ, nunc stricti enses, & vibrata in hostem tela, nunc fatigatæ consiliis mentes, & nunquam peritura cordibus ea omnia imprimentur. Horum ex gloriosâ stirpe nata est beata METTA KIELMANNIA, quæ non minùs dotibus suis quàm natalibus illustris, dum viveret, omni conatu enisa est, ne se indignam majoribus, majorumq; gloriæ degenerem præstaret. Inter omnes virtutes, ad quas humana contentio in his lubricæ vitæ præruptis eniti potest, nulla est excellentior, quàm illa, quæ in cultu Numinis defigitur. Quid enim hominem magis deceat, quàm, cùm divinæ imaginis reliquiæ, & subinde ex carnis cinere emicantes cœlestis mentis scintillulæ, ad venerandum authorem suum, ad celebrandam originem, à terrenis fæcibus abductæ, eriguntur?

guntur? Tum demum humana mens, in ſummo altitudinis collocata faſtigio, quid præ reliquis animantibus acceperit, devotâ agitatione propiùs inſpicit & contemplatur. Id ipſum Ethnicis in tenebrosâ errorum caligine, quibus involuti jacebant, non fuiſſe obſcurum, verbis Tullii, adducimur, ut credamus. *Pietate*, inquit, *adverſus deos ſublatâ, fides etiam & ſocietas generis humani & una excellentiſsima Virtus juſtitia tollatur neceſſe eſt*. Lib. I. de naturâ Deorum. Nihilominus in peſsima quæque degenerantis vitio ſeculi, evenire videmus, ut, quò quisque pluribus à DEO bonis fortunisq; cumulatus ſit, eò minùs debitas ei gratias perſolvat; quin etiam cum felicitate ſæpius ſacrilegæ impietatis flagitia, mox radices actura, niſi interruptus aliquâ calamitate florentium fatorum curſus fragilitatis humanæ admonuerit, incrementa capiant. Quibus undique inundantibus diſſolutæ in Numen reverentiæ fluctibus, quamvis his corruptiſsimis, & præcipiti curſu in ultima rerum properantibus temporibus, reluctari longè difficillimum ſit: Beata tamen KIELMANNIA occultos hos ſcopulos tam cautè evitare ſcivit, ut in peſsimo ſeculo, & in abundantiâ omnium rerum, quæ alios ad peſsima trahunt, tanquam in optimo ſeculo, optimè beatiſsimeq; viveret. Quam cautè & circum-

circumſpectè in tantâ ſcelerum colluvie, quâ omnes terras paſsim inundari videmus, ab omni vitiorum contagio generoſum & ad cœleſtia quæque natum animum arcuit? Quantum pietatis exemplum ad omnem poſteritatem tranſiturum de ſe ſtupentibus dedit? Quô pectoris candore, quâ precum contentione, quâ integritate morum cœleſte Numen coluit? Dicámne exactos tot, inter ſanctiſsimas preces, dies? Dicámne frequentata aſsiduè templa, quibus non fictæ ſimulacra religionis, ſed caſtam & impollutam ab omni maculâ mentem intulit? Dicámne auditas, non ſine ſummâ attentione, incredibili ardore, ingenti fructu conciones? Vidimus attoniti, & tantæ admiratione virtutis perculſi, puriſsimos & nullo inquinatos flagitio mores: Vidimus invictum, adverſus infernales dolos, & illecebras mundi, innocentiæ robur: Vidimus ſæpe flexa in ſanctimoniam, nunquam laſſata genua. Nonnullas ſanctas fœminas, memoriæ proditum eſt, ob ſingularia ſtupendaq; pietatis opera, fatô functas, in Divorum numerum transſcribi meruiſſe. Quandoquidem Paulus I. Pontifex Romanus Beatæ Petronillæ corpus in templô Apollinis, magnâ pompâ depoſitum, coli juſsit. Nec non Pius Secundus, Beatam Catharinam natione Senen-

sem Sanctorum Cœlitumq; Ordini adscripsit. Magnam quidem & immortalem laudem illas adeptas esse, nemo negaverit, quarum sanctimoniam decretum Pontificis, consensus Purpuratorum Patrum, conspiransq; orbis terrarum plausus in exemplum serò venturæ posteritati commendavit. Verùm beatissimis fœminis, quarum ingentia virtutum merita nulla caligo obscurare potuit, ipsa & sola temporis conditio non parum de gloriâ detraxisse videtur. Vixerunt enim illô tempore, quô, florente innocentiâ, exsulante & longiùs proscriptâ à Christiani orbis finibus nequitiâ, non tam laudi ducebatur bene vivere, quàm impietas imputabatur ad contumeliam. Habuit illa ætas, minimè virtutum sterilis, superba magnificaq; exempla, ad quorum recordationem, scelerum convicta posteritas, multô pudore suffunditur, quæ nunc in omne flagitium effusa, non peccâsse, non meruisse supplicium contenta, nisi & angustos illos, vix ac ne vix quidem emergentes, in tantâ pravitate rerum, aditus ad virtutem aliis intercluserit. Quibus ergo laudibus BEATAM KIELMANNIAM efferemus, quâ admiratione prosequemur, quæ tot inter Oenoas, tot inter Proetides, tot inter barbaras Barbarâ illâ Imperatrice, quæ Sigismundi thorum æterno dedecore adsperſit, pejo-

res,

res, ut diva Melania, ut ſancta Dorothea, & illa tot elogiis ab Hieronymô celebrata Euſtochium vixit. Ingentem in ſe venerationem etiam concitârunt non paucæ memorandæ ſanctitatis fœminæ, quòd, quò innocentiùs vitam agerent, à turbâ & conſortiô hominum, in monaſteria, in loca ſolitaria ſeceſſerunt. Verùm quemadmodum nulla è fugâ gloria militi, nulla ſperanda lausfortitudinis eſt; quemadmodum turpius ille bellator dedecus contrahit, qui ſe ſuasq; cohortes incolumes pugnæ & hærenti poſt terga hoſti ſubduxerit, quàm qui magnâ ſuâ, ſuorumq; cum clade fatigatus, ſemianimus, fractus, addo & deſperatâ victoriæ ſpe, fuerit reverſus: Sic etiam militantium in his terris Chriſtianorum, contra peſtifera & plus quàm hoſtilia depravati ſtratagemata mundi, laudem minuit, & arguit imbelliam, cedere hoſti, fugere arma, nolle conferre copias, nolle decertare cum adverſario. At quantô fortior beata KIELMANNIA, quæ non fugit hoſtem, ne vinceretur, ſed aggreſſa eſt & oppugnavit, ut vinceret? Quæ circumfuſa quotidiè tam variô hominum genere, & omnibus rebus, quæ ad felicitatem conducunt, ſed pluribus ſtimulos ad vitia addunt, abundantiſsima, tot inter incentiva malorum, innocentiùs caſtiusq; vixit, quàm leges ſolitariæ vitæ poſcunt. ô decus fœminei

sexûs! ô stupendæ sanctitatis prodigium! Beata Matrona, quæ nunc admissa cœlitum choris, digna Tuâ virtute præmia, digna pietate gaudia capis! Liceat mihi confiteri, Tuô probatam exemplô esse veritatem sequentium verborum, quibus Lyricorum Princeps Fuscum allocutus est Libr. 1. Carm. Od. 2.

Integer vitæ scelerisq; purus
Non eget Mauri jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravidâ sagittis,
Fusce, pharetrâ.
Sive per Syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Legimus Demosthenem, insignem illum Oratorem, cùm aliquando interrogaretur, quid Deo simile haberent homines, respondisse *benignè facere*. Ne à nobis quidem Christianis rectiùs dici posset, quod ita ab Ethnico dictum est. Ea enim Dei Optimi Maximi natura est, ut sit abs se bonus, & velut inexhaustus exuberantissimæ fons bonitatis, omnes illos, quos mortalis conditio participat, virtutum rivulos, omnia sive naturæ, sive fortunæ dona in creaturas derivet. In id, inquam, Dei cura evigilat, in eoq; tota ejus vita occupatur, si qua Dei præter propriam felicitatem occupatio est; ut cùm ipse bene-

beneficii fit incapax, immensam benefaciendi vim semper & simul in omnia, quæ sunt sub sole, dispensset. Nominatim ea Dei in genus humanum, quod ad sui imaginem condidit, propensissima est voluntas, ut illud præ cæteris animantibus beneficiis sibi maximè obstringat; cùm nemo mortalium, ne ad momentum quidem, sit superfuturus, nisi subinde Dei beneficiis recrearetur & refoveretur. Itaque tum maximè quandam similitudinis divinæ speciem, quantum per mortalitatem licet, adsequuntur homines, cùm quasi numina quædam afflictorum occursare fortunæ, miserorum intercedere casibus, non mora adsistere & opem ferre periclitantibus satagunt: cùm desertos non deserunt; cùm implorantibus se non subducunt; cùm benefaciendo egentibus, quàm maximè fieri potest, se totos impertiunt. Nihil enim est, quod humanam mentem cum supremâ illâ, quâ nihil est benignius, propiori commerciô jungat atque connectat: nihil, quod ab humili vulgi sensu longiùs recedat, quàm largiùs effusa in liberalitatem voluntas. Inde viles quique & depressi ad infimas rerum sordes animi, qui non nisi ad obvia & sponte oblata advertunt; qui non rationis imperiô, sed cœcô affectuum æstu trahuntur; denique qui non capiunt illa Divini secreti mysteria, quibus divitiarum, & opum con-

temtus jubetur, nullô modô possunt adduci ut probent, quod Christus dixit: *Beatius esse dare, quàm accipere:* probant autem, atque ut totâ vitâ auream regulam exprimant, sui officii existimant omnes, quorum generosis mentibus altior quædam, & cœlô orta vis sese propiùs insinuat. Quò minùs mirum est, BEATAM KIELMANNIAM, cui nihil erat solennius, quàm in imitandô authore suô defigi, ad eundemq; unum omnia, à quô unô, quidquid natura erat largita, quidquid fortuna concesserat, ortum esse credebat, referre, adeò effuso in beneficia genio indulsisse, ut, quantum liberales avaris præstant, tantum illa liberalissimis antecelluisse videretur. Ecquâ enim re magis gaudere solebat, quàm se, si ita contingeret, in pauperes beneficam, in egentes liberalem, non duram in implorantes fuisse? Vidimus illud illustrium matronarum decus semper ad benemerendum de omni hominum genere accinctum, beneficiis dies numerare, tempora in officia charitatis distinguere, singulas horas aliorum usibus donantem, nunc marito, nunc liberis, nunc amicis & domesticis inservire, ipsis etiam subditis & egenis non deesse. An unquam ad illam quis egenus accessit, quin locupletior recederet? an quis fessus curis illius promtam in omnia & simul benignam solertiam, an solertem benigni-

benignitatẽ in consilium adhibuit, quin erigeretur solatio? An quis illam ad opitulandum languentibus rebus imploravit, quin præsentissimæ opis auxilia experiretur, reportaturus eadẽ citra preces, si casus innotuisset? Confluebant indies magna pauperum examina ad hospitales tantæ beneficentiæ penates, eosq; jam non minori jure, non infrequentiùs, quàm domestici implorare didicerant. Nec tamen illa unquam offensa obsecrantium multitudine, nec benefaciendo defatigata atque lassata est, sed quasi deessent, in quos sua munera dispensaret, semper novos & alios beneficii capaces quærebat. Quoties ad miserorum querelas aliorum aures obsurdescunt? aut si qui tandem exorantur, perit tamen, quæ beneficiorum est gratia, quando fessa mendicantium importunitas, id quod multis precibus extorquet, non tam in beneficii loco ponit, quàm præmium laboris sui esse arbitratur? Quoties alii pulsantibus obseratas fores, & nullos admissura, nisi qui graves ære manus attulerint, ostia objiciunt; unumq; vel alterum è longinquo pauperculum prospicientes, de nimiô mendicantium confluxu queruntur? Nostra eleemosynas datura egenis, hoc maximum præstitit, ne rogarent: non enim laboriosis precibus ad commiserationem exoranda erat, sed expromtâ exporrectâq; manu omnibus & statim

tim offerebat, nihil magis metuens, quàm ne mora beneficii magnitudini quid detraheret. Nunquam eos, qui fiduciâ benignitatis liberiùs se implorarent, importunitatis, sæpius verecundiæ, aliquando & indigni pudoris, si nimiùm modesti essent, accusavit, quem solum imputare consueverat. Nunquam tot tantisq; largitionibus se impenderat, quin majori benefaciendi desideriô flagraret, quasi parum aut nihil benefeciſſet. Crederes, non potuisse illam majus beneficium accipere, quàm si dedisset, majoremq; dando voluptatem percipere, quàm qui habendi cupidine incitati sunt, se accepisse lætantur. Itaque factum est, ut undique, non magis impulsu inopiæ, quàm longiùs evulgatâ tantæ tamq; singularis beneficentiæ famâ, accersita implorantium agmina, nunquam tristiorem vultum, quàm attulerant, sæpius autem illa propria KIELMANNIANÆ domûs ornamenta, & usitata magnificis penatibus fata, abundantiam & satietatem, plenosq; fiduciâ ac erectos, quos antè improsper casus dejecerat, animos, in solitarias ædes, in angustos suos Lares, in squalentia egestate tecta referrent. Quod si verò BEATA KIELMANNIA, in pietate, liberalitate, & aliis virtutibus, à quibus non minus Viri quàm fœminæ laudantur, ad tantum fastigium adsurrexit; quò arbitremur progressam fuisse

in

in earum cultu virtutum, quæ ad sexum fœmineum propius pertinent, eundemq; multis laudibus ornant? Ingentem, uti aliis, ita illustribus potissimùm matronis, quarum desideria supra vulgi vota feruntur, adstruit gloriam

Dos magna parentium,
Virtus, & metuens alterius Viri,
Certô fœdere castitas. (Horat. libr. III. carm. XXIV.)

Hujus virtutis est, intra decentis clausura pudoris se continere, nec æstuantis impetum libidinis sequi, sed injectis rationis beneficio frenis coërcere, & justô ordine moderari; debitum thalamo decus servare; fidei conjugalis jura sanctè, pudicè, reverenter tueri. Hæc nobilium, hæc ignobilium decus est; hæc auget pulchritudinem; hæc omnium amorem, venerationem, reverentiam in se concitat. Quamobrem & Perillustris nostra Domina, sicut omnia laudabilia & præclara in vitâ secuta est, ita nihil habuit antiquius, quàm ut cœteras dotes suas sanctissimæ accessu castitatis augeret ac illustraret. Quod quidem tam feliciter tantâq; aliorum cum admiratione obtinuit, ut, quæ aliis affectata & coacta est castitas, illi ingenerata, interq; ea, quæ rectiùs naturæ, quàm consuetudini imputaveris, esse videretur. Non mi-

hi lubet descendere ad prima illa adolescentiæ tempora, quæ acta octodecim per annos, sine labe, sanctis gestibus, verecundantibus oculis, dignâq; vultus modestiâ virginitas, & nostræ & posterorum memoriæ ad imitationem exempli, ad perpetuæ incrementum famæ commendat. Ille TIBI dies altioris gloriæ fecit initium, quô TU, Beatissima Matrona, ævi facta maturior, castissimos mores in Illustrem thalamum intulisti. Quos undecim per annos quâ innocentiâ, quâ relligione servasti? Quanta hoc toto tempore TIBI, in maritum tantâ conjuge felicem, fides fuit, quam cum nulli casus interrumpere aut minuere possent, sola mors, imò, ne mors quidem, rupit, sed tantummodò intercepit. Placere Viro, Viro obsequi, Virum observare, una TIBI cura, unus labor erat. Quamquam sine labore, ac summâ cum voluptate es consecuta, ad quod castus amor impulit. Non in illicita desideria, non in effrenatas libidines, non in noxias voluptates sincerus, suoq; & contentus fatô, & satiatus amor distrahitur, in unius reverentiâ Viri defixus. Quem BEATA MATRONA tam sanctè reverebatur, tam unicè diligebat, ut nullum tempus infelicius arbitraretur, quàm quod sine illo transigeret. Quantum ad felicitatem momentum est Viro, à tali conjuge venerationem mereri, quæ ipsâ ve-

ratione

ratione sit dignissima? Quàm pulchrum est, ab omnibus illis nugis, quibus vana, nec suis contenta vitiis lascivientium turba, innocentiæ insidias struere, & ad stimulandam libidinem uti solet, abhorruisse: odisse omnes vel ad minimam levitatem compositos gestus: fugisse obscœnos sermones: omni denique luxuriæ generi bellum indixisse. Est, quæ pudicè agit, quamdiu extra illecebrarum collocata est periculum: si quis invitantia ad incestum ullum voluptatis genus objiceret lenocinia; succumberet. Nostra piè defuncta cum Liviâ, Augusti Imperatoris conjuge, levissimos ritus, & sceleratos quosque impuræ lasciviæ satellites, ut statuas, & quæ sensu carerent, intactâ ad turpia mente, & illæsâ innocentiâ, intuebatur. Virtutis duxit, inter tot prava, aut depravantia, rectum stare, nec ad devia vitiorum deflectere. Neque fugit lasciviæ occasiones, metu seductionis, sed solô odiô, & tanquam hostem, qui nocere non possit. Nonnullis in exitium versa est eximia corporis species, ut, cûm insidiantis formæ laqueis caperent alios, ipsæ vicissim caperentur; dumq; amarentur, amarent. Non videlicet corporis venustas, quantumvis ingens atque insolita, omnes numeros pulchritudinis obit & explet. Est aliquid majus in homine, quàm extra potestatem posita, & pendens à

naturæ benignitate ſpecies, quod ornat, quod decorat; innocentia, & puritas animi: ſine hâc, utut ad miraculum usque formoſus vultus, meram deformitatem, merum dedecus affert. In noſtrâ veneramur formam, miramur virtutem, & cum in utrâque diu attoniti hæſimus, adhuc, utra magis veneranda mirandaq; ſit, dubitamus, quia utraque pulcerrima. Adeò ex aſſe reſpondens corpori animus, & animo corpus, in ſuavem harmoniam concentumq́; pulchritudinis conſpirabant. O veram atque inaffectatam formam! quam non fœdabat impietas, non impuræ fraudes doliq; mentis inquinabant, non maculabat nequitia: ſed, quæ junctis geminatisq; ſpeciei & innocentiæ radiis, omni decentius decore decus adornabat. Quanta dona, editura perfectum quoddam pulchritudinis exemplar natura, in illam profuderat & congeſſerat? Jam elegans & plurimum de cœlo trahens facies, jam oculorum ſidera, jam lacteus genarum candor, generoſo ſanguine miſtus, jam purpurantia labia, ad hoc decens, nec juſtum egreſſa modum auguſti corporis ſtatura, & in optimo ſtans flore ætas, nonne longè lateq; beatam matronam ornabant? Quid melleam loquelæ ſuavitatem, quid gravitatem Matronalem, quid decentiſsimam in veſtitu, in ingreſſu pompam referam? Nihil autem hæc

ad

ad virtutem, nihil ad innocentiam. Stupemus formæ decora, & castitatis ornamenta miramur, cùm in pulcro corpore hospitatur pulchrior animus; quem non felicitas & abundantia rerum ad lasciviam flectunt; non voluptatum æstus & nocentium vis exemplorum ad luxuriam vanitatemq; detorquent. Pulchrum certè, & amabile erat, intueri venerariq; mille ludentes in ore formosissimô castissimôq; veneres. Sed longè pulchrius & omnibus gratiis suavius spectaculum nostro parabatur stupori, cùm index castitatis testisq; modestiæ pudor, venerabili excussô rubore, lac cum sanguine misceret, purpuram cum nive confunderet, lilia rosis intertexeret. Vidisses, rapi in admirationem perculsas mentes tantis deliciis, raptasq; teneri. Glorioſum verò supra omnia erat, quòd nôrat id temperamenti omnibus virtutibus suis adhibere Matrona, ut nunquam ad extrema declinaret, sed mediô semper gradu recta immotaq; incederet. Nihil gravitati Matronali modestia puellaris, nihil innocentia suavitati, nihil denique Christianæ humilitati altitudo statûs, & digna magnanimitas detraxit. Est, ut severitas in morositatem degeneret: est, ut nec comitas servet modum, sed assentando vel fastidium pariat, vel in ludibrium vertatur, vel in scurriles nugas desinat. Nostra piè

defuncta Domina, quàm intuentibus venerabilis, tam blanda alloquentibus videbatur. Vidisses in ore tantum suavitatis, quantum majestatis in fronte. Et ô quàm affabilem amicis, quàm facilem omnibus se exhibebat? Dulcis vox, amabilis vultus, suaves & mansueti gestus, omnia gratiis plena ad comitatem conspirabant, ut illa ipsa tantum Deo hominibusq; dilecta virtus, si humanâ formâ indutam hominibus suæ vim jucunditatis voluisset ostendere, nullam se digniorem sedem, nullum aptius domicilium, quàm hanc ipsam potuisset seligere. Est genus aliquod hominum solennem horrorem adscititiâ & coactâ hilaritate colorantium: quibus mox ad ingenium reversis, qui invitis expressi sunt sales, contemti ac derisi pereunt. Nostra semper & ubique sui similis nunquam deposuit lætos vultus, cui hoc maximum natura largita erat, quòd deponere non posset. Non erat coacta in blanditias frons, non comitatis speciem ars laboriosa mentiebatur. Non mobilis ad casus, non obnoxia affectibus facies: intacta etiam ab illis tempestatibus, quibus alii commoventur. Idem illi tenor, cum tristis, idem cùm lætus vultus; eadem cùm domi; eadem cùm alibi frons; eædem hodiè, quæ heri inerrabant sermonibus, verbis, gestibus, nullâ injuriâ mutabiles gratiæ.

Tantò

Tantò autem ab his moribus major ipsi laus erat, quantò longiùs à necessitate aberant. Quid movit ipsam, ut nemini molesta esset, omnibus grata & jucunda videretur, nisi ultroneum & inaffectatum virtutis studium? Quàm pulchrum erat, in congressibus cùm publicis, tum privatis, omnium amorem promeruisse? Potest fortasse nonnullus indignè, potest tamen aliorum odia incurrere, cùm ipse neminem offendat; diligi timeriq;, nisi rectè agat, non potest. Quanta BEATÆ KIELMANNIÆ inter Sui Ordinis Matronas fuerit authoritas, nihil attinet dicere, cùm notissima res sit, & quasi recens factum, in omnium oculis & animis, atque in publicâ luce versetur. Aliæ colebant illam, imitabantur aliæ; & quamvis maximæ & livoris capacissimæ essent, ejus tamen nemo invidebat fortunis. Illud virtute, hoc humanitate merebatur. Quâ hoc subinde adsecuta est, ut illi demum nobilitati congressus suaves, illa convivia jucunda crederentur, quibus Ipsa interfuisset, & mellifluam verborum suadam miscuisset. TU verò, Magne KIELMANNE SOCER, qui sedes ad gubernacula Reipublicæ, & Vice-Principis subditis Holsatiæ populis jura dispensas, cui omnes dies horæq; inter Ducalia gravioris momenti consilia conduntur; quoties, cùm lassatus fatiga-

tigatusq; susceptis pro Republicâ curis otium quæreres, jucunda colloquia & suavissimi gestus hujus TUÆ gratissimæ Nurus piæ memoriæ TE recrearunt? Hæc TIBI laborum refectio, hoc laxamentum curarum quàm citò ereptum est? TU tamen, quæ TUA est constantia & magnanimitas, Atlanticis oneribus humeros TUOS, quantæcumque molis capaces non subduxisti. Auxit nostræ Matronæ venerationem, quæ à plebeji ordinis turbâ reverentia habebatur. Liberum erat omnibus, illam adire; liberum alloqui, & hærere à latere, nec priùs recedere, quàm sua cuique modestia discessum imperaret. Domesticis nunquam duram ac difficilem se præstitit; subditis talem, qualem ipsa, si in similem serviendi sortem genita esset, optaret Dominam. O dignam admiratione comitatem, quæ omne hominum genus familiaritate conjungit, nec amicitiæ limites arctiùs, quàm ipsis humanæ naturæ terminis definit & contrahit! Habent hoc domesticæ mortalium res vitii, ut nisi administrantium arte & labore digerantur, confusæ indispositæq; non bellè sub manus succedant. Hinc suum non minus Oeconomiæ, quàm Reipubl. regimen debetur, quod nisi prudenter apteq; administrent, qui præsunt, tam ruinam familiæ accelerant, quàm occasum Reipublicæ,

qui

malè imperant. Quare bene ac sapienter â majoribus institutum, vel potiùs sanctissimis naturæ juribus sancitum, ut partitis inter se officiis, Viri ad promovenda publica commoda, fœminæ ad incrementum rei familiaris eniti ne fatigentur. BEATA NOSTRA KIELMANNIA, quamvis in eô felicitatis & abundantiæ gradu se collocatam videret, ut expediundis quantumvis longè diffusis rei familiaris negotiis, famulantium ministeria abundè possent sufficere; maluit tamen Ipsa, quod suarum partium esse credidit, diligentis Matrisfamilias munus obire, ne ullo genere laudis vacaret. Ipsa, inquam, mista ancillantium turbis, rerum suarum severa moderatrix, nunc instabat operibus, nunc dabat jussa servis, eosq;, quos huic labori, quos illi destinâsset, imbuebat scitè & prudenter, alios ad agriculturam mittens, alios ad curam pecoris ablegans, domesticis alios servans negotiis. Omnia ut suô tempore & locô agerentur, rectèq; & ordine procederent, quàm cordatè, quàm assiduè curabat? Si aptissimè digesta in suas sedes tot varia domesticæ suppellectilis genera; si splendidis obducta tapetis conclavia; si magnifica domûs ornamenta; si domesticorum mores vidisses; facilè agnovisses, gubernatricem non infeliciter in privatis rebus æmulatam esse, quam adhibuit in

publicis Viro prudentiam. Hujus mores referre, huic debitam verecundiam exhibere nunquam ceſſavit. Quàm ſe uxorem, quàm ſub marito ſe eſſe meminerat? ut in illâ Viri manſvetudo, Viri magnanimitas, Viri candor, Viri ſolertia elucebat? Satisne mirer, quòd cum abundaret tantis ipſa virtutibus, non tamen officii partes explere ſe exiſtimaret, niſi Maritum imitaretur. Sed quæcumque ratio Illi hanc modeſtiam ſuaſit, hòc magis digna fuit, quam omnes & imitarentur & colerent, quòd veram bonæ matrisfamilias laudem non tam in propriâ arrogantiâ, quàm in imitatione Viri repoſuit. Quantâ curâ, quô ſtudiô in omnes ſemper caſus accincta Dominæ noſtræ & intenta mens cavebat, ne quid detrimenti res familiaris acciperet? Si autem quâ parte graviùs laboraret, quàm citò afflictis rebus mederi, inclinatas erigere, laborantibus opem ferre? Supra capacitatem ſexûs, eôq; ſupra fidem eſt, quòd etiam è longinquô ventura proſpiciens tempora, imminentia mala, ne in rem abirent, ut quæ cautiſsimè, ut quæ circumſpectiſsimè evitabat. O raram in hôc ſexu prudentiam, quæ non tantùm ingraveſcentibus periculis maturè proſpicit, ſed etiam fatorum conſilia eludit, illisq; reluctantibus & invitis proſperos rerum ſucceſſus velut extorquet! Videas, uni

atque

atque alteri, & pluribus sufficere negotiis unius prudentiam matronæ. Sed omnibus in tam amplâ domô hinc inde pro re natâ administrandis officiis quæ sufficit, quorum singula totum hominem fatigarent? Quibus tamen BEATA KIELMANNIA tantô consiliô, tantâq; animi constantiâ præfuit, ut nullis rebus gerendis impar esse videretur? Non agros frugum feraces, non arva pascuis læta, non hortos lautè cultos, non latos implentia tractus opimi pecoris agmina referam. Sunt quidem præclara & magna hæc prudentiæ Tuæ opera, BEATA MATRONA, quibus Tu rei familiaris incrementum ad tanti floris fastigium immensis auctibus provexisti: sed non minora ea, quibus domesticorum animos, Tuô exemplô, à vitiorum contagiô repressos, ad omne virtutum genus imbuisti & formasti. Nam quantò difficilius aliorum mores emendare, quàm suos; tantò magis laudandum est, cùm ipse à vitiis abhorrueris, illos, qui circa Te fuerunt, Tui similes feciſſe. Non nimiâ libertate Tuos luxuriare & diffluere passa es, nec durâ severitate alieniores reddidisti: sed ut reverentiæ, ut amori ratio constaret, alios blandis, alios asperioribus verbis commonefecisti sui officii, prout quisque merebatur. Inde integri & insontes ubique mores; inde felicia rerum

auſpicia; inde proſperi eventus, omnes domi partes impleverant, ut quaquà verteres oculos, nil niſi florentia fata, & ſuperbientes innocentiâ penates occurrerent. Dubitare quis poſsit, virtutíne an fortunæ hæc imputanda ſint, cùm alii quorum in virtute noti ſunt progreſſus, cum inopiâ & egeſtate conflictentur. Verùm ego ne dubito quidem, quin utrique debeantur. Audio, pietatem dicere; ego indefeſsis precibus Deum, ut optima quæque mihi largiretur, exoravi; memorare liberalitatem, ego beneficiis benevolentiæ & amicitiæ jura redemi; aſſerere caſtitatem, ego ſanctas viri tædas fide & amore provocavi; perhibere comitatem, ego ſuperbis honorum titulis, & magnæ reverentiæ parem me feci, dum recuſavi; aſſeverare prudentiam, ego indefeſsis curis, ingentiq; labore rei familiaris commoda promovi; Omnes poſtremò clamnare: nihil Tibi, Fortuna, nihil debemus, Tu nobis debebaris. Etiam, ait Fortuna: Ego tamen adſpiravi veſtris laboribus, impediviq; ne indigna veſtris meritis pateremini. Ita igitur virtuti ſuas vindicat partes, ut etiam, quod â ſe ortum eſt, jure ſibi ſuô aſſumat, ſive illa huic, ſive hæc illi ſe debitricem ac clientam fateatur. Sed quid ego ſingula conſectari, & perſtringere ſum ingreſſus, quæ BEATISSIMA CONJUX TUA, Perilluſtris DYNASTA,

NASTA, laudanda ſuggerit, quâ Tibi ampliùs frui non licet? an ut magis angaris, quia non licet? Vereor, ne tantarum recordatione virtutum deſiderium Tuum magis incendam, & à ſolantis officio, cujus in me partes ſuſcepi, longiùs evagatus, crudi vulneris ulcus exaſperem magis, quàm emolliam. Quò enim amabilius & præſtantius eſt bonum, quô fruimur: eò magis deſideratur amiſſum, deploraturq; non recuperandum. Hinc, inquies, hinc iſtæ lacrymæ, quæ me inundant! Hinc iſte ſqualor, qui me invaſit! Hinc, quæ abeunt redeuntq; crebra ſuſpiria! Si ſola thalami damna in ademtâ Uxore ſunt dolenda aliis; me non piæ, prudentis, caſtæ,&,quid dicam amplius,niſi Optimæ Conjugis mors afficiat torqueatq;? Imò maxima malorum Tuorum hæc pars eſt, quòd jure lugere videris; ut non immeritò cum Poëtâ exclamem:

Et quisquam leges audet Tibi dicere flendi?
Et quisquam lacrymas temperat ore Tuos?

Verùm, cùm inevitabilis fatorum lex ſit, quæ morimortales jubet, cùmq; nullis precibus mortiferæ crudelitas Parcæ poſsit placari, ut, quod ſemel rapuit, reddat: non committes, DOMINE, ut fatis, quorum ſub jugô mortalium corpora premi expertus es,

immortalis etiam & servitutis impatiens animus Tuô exemplô subesse videatur. Sed quos evitare non potes casus, animi constantiâ vinces, nec tam ereptam TIBI esse dolebis talem conjugem, quàm talem habuisse lætaberis. Si ad eum verba facerem, qui omnia in fatum quoddam Stoicum referret, laborandum fortè mihi magis esset, quomodo moderamenta luctûs infigerem homini, ita animato, ac persuaderem. Diceret enim, non morigerari præceptis lugendi libidinem, sed mali contemplatione quasi necessitate quâdam oriri. Quorum sententiæ, referente Æliano, patrocinatus Spartanus, cùm esset ob luctûs pervicaciam, an vehementiam à nonnemine objurgatus, reposuit: non se, sed naturam sibi luctum excutere. O stultam & impiam, ô dignam, quæ omnium sibilô explodatur sententiam! Ad quam refutandam non longa & operosa disputantium certamina instituenda sunt, sed quam ipsæ voce carentes bestiæ refellunt. Quarum quamvis sint admodùm vehementes & concitati affectus, eosdem tamen quàm citò tempus minuit? Unô aut alterô die vagus equorum discursus, obsequium Domini dedignantium, doloris speciem præbet, nec diutiùs boum mugitus orbitatis damna proclamat: Momentô ferarum rabies desævit: nec stridor avium diu spoliatos

nidos

nidos circumfundit. Solusne ergo homo neſciat finem luctui facere, &, quò licentiùs alat dolorem, neceſsitatem imponentis naturæ obtendat imperium? Solus ſe victum, & velut inermem hoſtilibus affectuum copiis tradat, & ab ingenitô ſe præcipitans faſtigiô, regiam animi vim cum plus quàm brutâ ſervitute commutet? Ad idne illi arma conceſſa ſunt, ut ſibi noceret? Ad id ratio data, ut deſiperet? Eſt homo præ cœteris animantibus ad eam miſeriam natus, ut poſſit ratione abuti & deſipere. Poſſunt & beſtiæ furere & ſævire; deſipere, quibus ſapere non licet, non poſſunt. Quare nihil eſt indignius homine, quàm ſi exſutâ rationis imagine, immodicô mœrore velut obbruteſcere cœperit. Non equidem omnem ab humanæ naturæ finibus luctum proſcribo. Eſt enim, eſt naturale ſuorum cuique deſiderium, nec facilè tam duram genuit natura mentem, quæ non ex illorum, quos amat, ſtrage, aliquam proſtrati animi cladem accepiſſe ſe ſentiat. Sed non ita à naturâ imperatur dolor, quin, licet forte ægrè, temperari tamen reſtringiq; poſsit; & is niſi dignâ reputatione coerceatur, naturalis eſſe deſinit. Rectè igitur ſentis, DOMINE, dum id differre homines à brutis animantibus non veroſimile, ſed confeſſæ apud TE veritatis eſt, quòd poteſtatem ſanæ mentis ac vim liberi

beri arbitrii illi præ his consecuti sunt, ut, de facili in enorme vitium erupturos luctus rationis regulâ moderari, noxioq; tristitiæ affectui meliùs affectæ voluntatis impetu fibulam injicere, idq;, quod ex decorô est, ut ubique aliàs, ita & hîc servare se posse non desperent. Secus qui fecerit, hunc non quantum sentit, sed quantum constituit, affici, & contristari, testes sunt, quotquot tristissimos durissimosq; contra casus surgenti subinde mœrori modum egregiè & cordatè statuerunt. Non Quintum Fabium Maximum mors satis lamentabilis filii Consularis fregit. Non Marcus Cato, mortuum filium, jam quantumvis Prætorio muneri destinatum, immodicè luxit. Marcus Bibulus Consul, cùm totô consulatus tempore non prodiisset in publicum, quô die de obitu duorum filiorum cognovit, Senatui interfuit, & munere functus est consulari. Marcus Antoninus Imperator, cui Philosophi nomen sapientiæ studium peperit, ne ultra quinque dies filium sibi morte sublatum summæ spei adolescentem Romani lugerent, edictô inhibuit. Pericles tot amicorum stragem, quam grassata Athenis pestilentia fecerat, fortiter & moderatè tulit; vix ad filii Parali, quem unum fata superstitem illi reliquerant, funus elanguit, & victus magnitudine doloris lacrymis liberiùs indulsit. Quid? quòd ipse San-

Sanctiſsimus regum David, cùm morbum filioli ſui tam acerbè defleſſet, ut jejuniis & precibus tantùm non marceſceret, ejus mortem invictô animi robore excepit. De Demoſthene, magnô illô Oratore, tradit Plutarchus, quòd ſplendidè amictus & coronatus, ſeptimô die poſt defunctam filiam, in publicum prodierit. Horatius etiam Pulvillus, cùm in Capitoliô Jovi ædem, Pontificis munere fungens, dedicaret, &, inter ſolennium nuncupationem votorum, mortuum eſſe filium audiſſet, non vultum à publicâ religione ad privatum dolorem reflexit; ne patris magis, quàm Pontificis officium egiſſe videretur. Sed quid in antiquam rerum geſtarum hiſtoriam juvat ire, & ex illa temperati luctûs exempla colligere; cùm noſtra propiùs elapſa ſecula abundè ſuggerant, quorum fortitudinem & conſtantiam, in dilectorum funere, pulcrũ ſit imitari. Cujus inter alios memorabile edidit documentum Homulus JCtus, qui, Romæ in palatiô cauſam urgens, nunciatâ filii morte, aliquantiſper quæ dicenda ſuſceperat, peregit; poſteà unius horæ, ut paterno affectui indulgeret, ſeceſſum petivit; quâ decurſâ, rediit ad officium, nullam triſtitiæ ſpeciem de ſe præbens. Nec tacenda Leonardi Lauretani, Ducis Veneti virtus, quem Bernhardi filii mors, ipsô exſequiarum die, non à Reipublicæ ſtudiô abduxit. Ho-

rum TU, DOMINE, magnorum virorum, qui quidem à luctu, humanæ conditionis lege, intacti omnino non stetêrunt, sed tamen illatâ affectibus vi, & expugnatô dolore, se ipsos vicerunt, ut imitêris magnanimitatem, nullô monendus es modô; cùm dudum omnes admiratio incesserit, quàm tantum Dilectæ Conjugis lacrymabile funus, fortem ad omnes fatorum ictus animum Tuum, non ad indigna lamenta, non ad indecoras querelas dejecerit: Ut muneri, cui præes, non Tuô in dolore defueris, sed ipsô lugubrium dierum curriculô non segniùs, quàm ante solebas, Reipublicæ negotia procuraveris: Ut non publicis curis privatas necessitates anteposueris. Mâcte hâc constantiâ, DOMINE, quâ tantò majorem laudem consequeris, quantò difficilius est, seipsum vincere, quàm alios. Quàm bene aliis imperes, innumera dedisti documenta: quàm etiam TIBI possis imperare, fidem facies & probabis, si vehementissimum tristitiæ æstum, quô nullus fortior est affectus, eâ, quâ soles florentium fatorum cursus temperare, modestiâ moderêris. Non TE dolere, non contristari, non lugere prohibeo, in tantâ funeris acerbitate, & ademti pretiosissimi pignoris lugubri memoriâ: sic enim pietas, sic, quam castis defunctæ manibus debes, jubet religio: sed non ultrà id facere, quàm

quàm pium, quàm decorum & Christianô homine dignum est, res Tuæ virtutis, Tuiq; sejuncti à mollitie, & ad principem Heroicarum virtutum fortitudinem nati facti animi est. Magna quidem fatorum hæc videtur esse invidia, nec crudelitati dissimilis, quòd, superstitibus tot senibus, tot effœtis fœminis, Generosissimam Matronam in ipsô ætatis flore eripuerunt, cujus in vultu tot virtutum signa, quot lineamenta legebantur. Si quod ergo virtutes obtinuissent privilegium, non dicam exemtæ, sed prorogatæ mortalitatis, productæq; in plures annos vitæ; nostra PIE DEFUNCTA DOMINA, aut immortalitatem, aut Nestoream ætatem consecuta fuisset. Ac quanticumque præ vitiis æstimatæ sunt virtutes, cùm etiam eô maximè differant, quòd illas pulcherrima merces, hæc gravissima maneat pœna: quos tamen natura nascendi origine non distinguit, eos etiam pereundi lege maturô consiliô æquavit, ut in summâ virtutis & vitiorum inæqualitate hæc una insit æqualitas, moriendi necessitas. Acerba sunt, quæ sustines fata, DOMINE; sed non ita ad TE spectant, quin etiam ad alios, contrà quàm erant digni, pari impetu subinde devolvantur. Quis quantâlibet virtute præditus, quantislibet rebus gestis clarus, quantâlibet corporis formâ elegans, quis nata-

lium splendore & priscæ gentis origine venerabilis, quis etiam purpurâ & sceptrorum majestate quantumlibet superbiens, armisq; & potentiâ toti orbi formidabilis, Deoq; proximus, mortis tela unquam subterfugit? Ubi sunt Hector & Achilles, invicti Heroes, quorum alterum Mycena classis, in Trojæ parata excidium, alterum mille munitum turribus Ilion magis, quàm totas militum cohortes & phalanges metuebat? Ille, non ab aliô, quàm ab Achille; hic solâ Paridis fraude, trucidari tamen uterq; potuit. Ubi Rex Regum Alexander, & re & nomine Magnus, qui novas victoriis suis terras optabat? cui angustior erat orbis, illum circumscriptus septem mensurâ pedum tumulus cepit. Ubi ditissimus Regum Crœsus? ubi aureô invectus curru Cyrus? Ubi felix ille Polycrates, cujus vota semper implebantur, nisi cùm adversa optaret? An ullum ex his vel auriferi dona Pactoli, vel longæ magnificentia pompæ, vel ultro veniens fortuna, à morte potuerunt vindicare? Tam sapientissimus mortalium Salomo, quàm insipientissimus quisque mortalitatem tandem explevit. Nec regina Arabiæ, relictis sedibus, properat ad Regem, postquam illum nemini parcentia mortis spicula rudibus & indoctis æquârunt. Idem septem sapientibus cum imperitis quibusque, idem omnibus promiscuè

miscuè est fatum, sine ullâ exceptione. Frustra, ô Nero! stirpis tuæ initia à Deorum origine arcessis; frustrà divini cultûs honorem à civibus exigis; frustra simulacris tuis quid Divinitatis inesse miseris gentibus persuades. Immortalem te non esse, docuit eventus, & aptatum propriis manibus tyrannico jugulo ferrum. Helena si unquam fuit, in Iliaci nata ruinam imperii, tota in cineres abiit, nec quidquam de eximiâ, & omnibus decantatâ populis pulchritudine, præter nudam famam, reliquit. Evanuit supra fidem excellens, & tam pernicioſa quàm venerabilis Antonio Cleopatræ species, mirandasq; vultûs veneres putridi vermes interceperunt. Adeò ergo nulla in pereundi lege est crudelitas; ut potiùs tantô mitior habenda sit natura, quantò minùs distinguit hominum conditiones, sed summos imosq; ob conditionem originis & sanguinis propinquitatem juxta habet. Orimur omnes ex terrâ, in terram omnes resolvimur. Neque injustum, ut, quæ communis cunctorum mater est, ejus gremio cuncti reddantur. Quod Carolus V. glorioſæ memoriæ, dignis tantô Imperatore verbis, testari non erubuit. Nam, cùm depositâ Imperii coronâ reverteretur in Hispaniam, reliquam vitam religiosô in otiô transacturus; ut primùm à classe expositus est in littora,

procubuisse fertur in terram, quasi suam genitricem sic affatus: *Salve mihi, optatissima mater; nudus ex uterò matris exivi; nudus ad Te, tanquam alteram matrem, redeo.* Quod si ergo omnibus de statione vitæ est decedendum, ut primùm summus vitæ arbiter ac naturæ Imperator evocaverit; quis, suis per immaturam mortem orbatus, conqueratur, se duriùs à fatis & crudeliùs tractari, cùm idem patitur, quod alii? Quis amissum lugeat, quasi id sibi acciderit, quod aliis nunquam evenerit, nunquam sit eventurum? Si quis hîc inæqualitatem & prærogativam, ac quoddam quasi privilegium productioris vitæ anhelaret; nonne is insolitum crudelitatis genus, quod æqualitas excludit, optaret exerceri in alios, quos præ se morti vellet esse obnoxios? Quiescant igitur illæ querelæ, & sileant istæ multorum voces: Quare mors non parcit innocuæ & teneræ ætati? & rapit seniô confectos? Quare accelerat eorum fata, qui superstites suâ vividâ indole, eximiâ virtute ac singulari industriâ pluribus profuissent? Hominem te esse memento, quisquis in has querelas erumpis, quisquis Divinæ consilia providentiæ profanis lamentis temerare non erubescis. *Qui enim* (ut Ciceronis verbis utar) *hominem se esse agnoscit, hominis q; nomen sibi vindicat, cur ea, quæ hominis*

nis maximè propria sunt, recusare ac rejicere audeat? Id optare & velle, quod salvis naturæ legibus fieri non potest, stultitiæ votum est, quod seipsum perimit. Quantò melius est, ut,

- - *quoniam id fieri, quod vis, non potest,*
Velis id quod possit?

Insuper Supremæ Dei voluntati bellum quasi indicere ac reluctari, vel jussa ejus redarguere, profani potiùs, quàm devoti Deo animi est, qui etiam Dei vindictâ periclitatur. Habet Supremus fatorum dispensator, omnes vitæ nostræ casus circumspiciens, gravissimas causas, quantumvis nobis incognitas, quare etiam eos permittat ante diem mori, qui superstites multum prodesse potuissent. Id autem quâcumque fecerit fini, non nostrô malô feciſſe putandus est; sed, quia id vel defunctis, vel nobis, vel utrisque utile futurum prospexit, qui solus omnia antequam fiant, cognoscit. *Justitia Dei*, ait Augustinus, *est aliquando, ut sanus sis; aliquando, ut ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei: & quando ægrotas, amara est voluntas Dei: non rectô corde es: quare? quia non vis dirigere voluntatem Tuam ad voluntatem Dei.* Qui totus in commoda nostra propendet Deus, & cujus natura nihil præter bonitatem est, quomodo non in

ejus

ejus Sanctiſsimâ optimâq; voluntate adquieſcat quisque, qui Chriſtianus audit, fatô ſuô contentus? ad eundemq; omnia tam læta quàm triſtia, tam adverſa quàm ſecunda æquô & placidô animô referat? Quò efficaciùs TU quoque, quæ TUA eſt pietas, GENEROSISSIME DYNASTA, à voluntate Dei, in hôc acerbô fatô TUO, ſolatium capies, & penſitatione paterni amoris Dei facilè modum luctui ſtatues, neque impatientiùs, quàm hominem decet, feres, dum id citiùs evenit, quod communi mortalitatis lege, quam ſupremus arbiter toti humano generi ſcripſit, omnino eventurum aliquando eſſe dudum præcepiſti. Non prudens dux atque imperator tum demum incipit milites ſuos armorum uſu imbuere, cùm inſtat hoſtis; & periculum prope eſt; multò ante, etiam domi, cumq; omnia ſunt pacata, eos Martialibus artibus inſtruit, ne torpentem otiô & imparatum ad prælia gerenda exercitum inexſpectatus hoſtis obruat derepente, opprimatq;. Sapienti perpetua quaſi pugna eſt cum affectibus, qui quoties à variis caſibus fortunæ, qui in noſtrâ non ſunt poteſtate, arma acceperint, contra rationem, rebellantium more, inſurgunt, quæ niſi validis ſe copiis muniat, facilè ſubjugatur. Cogat ſuas opes copiasq;, dum pax & induciæ ſunt cum hoſte; præparet ſe

bello,

bello, antequam ille ad conflictum redierit, quicum est dimicandum, ne improvisa tela prosternant. Obversantur nostris quotidie oculis infiniti tragici casus: videmus tot aliis illatas fortunæ clades: animadvertimus grandinis instar irruentes in capita concivium ictus: intuemur amicorum mille funestas strages, & tristia funera. Sed quotusquisque est, quem hæc omnia suæ fragilitatis commonefaciant; ut, quod aliis evenit, sibi quoque evenire posse, præsagiente metu, maturè prospiciat? Quotusquisque, quem cautum reddunt aliena mala, ut quibus se firmet præsidiis, salubriter provideat? Audio hunc vel illum in discrimine versari? Non commoveor, cùm me non ferit eadem tempestas, vel longiùs abest. Audio flagrare incendiô vicini tecta? afficior fortè, sed minùs, quàm si flamma meos parietes attingeret. Huic moritur filius, illi frater eripitur, alius orbatur conjuge: nonne ad hæc torpeo, cùm mei salvi sunt, velut eorum, qui in portu navigant? Quid ergo mirum, si fluctus ingruentium malorum improvidum obruant, & inexspectatô fatorum ictu, desidiosâ securitate sepultum, totum percellant pessundentq́;, antequam quid consilii capiendum sit, provisum sit animô, atque expeditum? Legimus, quosdam improvisi magnitudine gaudii

adeò commotos esse, ut ad primum læta ferentis nuncii strepitum exanimati exspirarent. Chilo, quem inter septem Sapientes antiquitas retulit, adeò, reportatâ è ludis Olympicis à filio victoriâ, lætatus est, ut in ejus amplexibus moreretur. Neque minùs notabile, quod Valerius Maximus de duabus fœminis tradidit; quarum altera filii, ex pugnâ ad lacum Thrasymenum actâ superstitis, primore adspectu spiritum reddidit: altera reducem ex clade Cannensi, ut Gellius affirmat, filium, quem quasi jam mortuum deflebat, subitaneâ morte excepit. *Genus casûs inusitatum*, (ut Valerii verbis utar) *quos dolor non exstinxerat, lætitia absumsit.* Quod si tanta affectuum vis est in jucundis & gratis; quantam esse putemus in tristibus, quæ homines arcanô instinctu naturæ aversantur? Gravior certè, magisq; metuendus hostis est mœror, & plures absumsit, quàm gaudium. Alios diuturnis morbis implicavit & confecit: alios tantâ atrocitate invasit, ut ad primum impetum conciderent. Multos nescio quibus præruptis in præceps actos adeò de potestate mentis abduxit repentina commotio; ut quidvis aliud, quàm homines se esse somniarent. Ita Eli Sacerdos, ad cladem Israelitis à Philistæis illatam, & duorum filiorum nunciatam cædem, adeo consternatus est, ut è soliô præceps datus momen-

momentô exstingueretur. *Quod si tantus dolor prævideri potuisset; fuisset illi haud dubio talis nuncius luctuosus, sed toleratu facilior*, interpretante ita Sabellicô. Hostium certè consilia & insidias, dum ante tempus innotescunt, facilè eludimus; verùm, quæ inexspectata sunt, non nisi damnô, non nisi interitu, sed serò esse mala intelliguntur. Ad eundem modum hostiles doloris insidias minori cum periculô declinare opis est nostræ, si provisæ nos oppugnent: quod si eædem ex inopinatô nos feriant, quàm citò, terga damus repulsi? quàm subitò prostrati concidimus? Peccarem in TE, DOMINE, si TE in lacrymabili funere Conjugis Tuæ, temperaturum esse dolori, ut dignitas Tua, ut virtus postulat, dubitarem. Semper enim in secundis, & in mediô florentium fatorum cursu, humanæ imbecillitatis non immemor, animum ad fortiter sustinenda, cùm olim evenerint, mala obfirmâsti ac munivisti. Cùm comperisti, alios difficultatibus & ærumnis premi, nec TE exemtum esse novercantis fortunæ casibus recogitare es solitus. Cùm audivisti, aliquem morte decessisse, eorum, qui cognatione TE non contingerent: & Tuos mortales esse hautquaquam oblivios transmisisti silentiô. Quid? quòd etiam in Illustri Domo Tuâ non unam stragem, non unô

crudelitatis genere, dedit Parcarum furentium inflexibilis immanitas. Tria Tuorum funera, Conjuge adhuc superstite, at quantò cum dolore, vidisti? Et hi tamen & alii sævientis fortunæ ictus, invictô animi robore, à TE excepti fuerunt. Ad ultimam cladem, quæ geminatum funus tulit, quia & geminata vulnera inflixit, metuendum erat, ne animum abjiceres, & desperantis more desponderes. Sed & hîc docuisti Tuo nos exemplô, quantum humana providentia, visq; liberrimæ voluntatis ad minuendum dolorem valeat. Nam *aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexit*, teste Senecâ. An potuisses sustinere tam gravem ictum, si inter secundantia fata, more vulgi, iners & venturi securus, aperuisses dolori viam, ut TE non tam armatum oppugnaret, quàm inopinantem & velut per insidias invaderet? Nunc, cùm in munitum, sapientiæq; ac constantiæ præsidiis auctum incidit adversantium fatorum turbo, repressus retortusq; quid nocere potest? Solus TIBI labor erit, defendere & tueri munimentum; nec tamen timebis conferre cum adversario signa, & egredi ad pugnam? Longum erit exspectare, donec hostis tœdiô victus recedat; vincendus fugandusq;; & ut citò solvat obsidionem, est cogendus. Sunt, qui tantisper lugent, dum luctus in se ruens, se ipsum confi-

conficiat ac consumat. Quorum quidem servilis indoles, & trepidantis, vel ad levissimum strepitum, mollities animi, satis se profert & prostituit; dum non tantùm solutam hosti, nemine resistente, furendi in se vim permittunt: verùm etiam ultrò, victorum more, se dedunt, cùm coactam sub jugum cervicem, libertati vindicatam, triumphalibus possent decorare. Sed dum nolunt miseri pugnæ discrimen adire, metu gravioris periculi, magis magisq; se involvunt malorum fluctibus, & diuturniori se servituti mancipant; ut in illis probetur, quod Tragicus dicit:

Pejor est bellò timor ipse belli.

Sic est: multi venientem non repellunt dolorem; multi quiescentem & sopitum sponte accersunt & invitant: utrique dant arma adversario ad impetum invalido, viamq; sibi imperviam sternunt, muniuntq; ad explicandum inultæ crudelitatis furorem. Quid ergo faciunt aliud, quàm ut conspirare cum hoste, in suam perniciem, & illi patentes portas offerre, & maximè destituta præsidiis valla prodere videantur? Rem igitur si propiùs inspicio, sunt sui ipsorum; sui, inquam, hostes sunt: faciunt sibi, non patiuntur dolorem, & quantùm ea mala, quæ sibi evenêrunt, revocant ad animum, tantùm contristantur. Videmus, plures ob paria fata, non pariter affici. Moritur Ze-

tho Thebanorum Regi filius, moritur & Davidi: ille mœrore contabescens, mortem sibi maturat; hic nullam de se tristitiæ notam præbet. Videmus & hunc levibus fortunæ casibus magis, quàm alium gravissimis quibusque commoveri ac frangi. Hiobum boum arantium, asinarumq; pascentium abactæ prædæ, trucidati servi, igne cælitus delapso unà cum pastoribus absumtæ oves, ventis concussa & corruentia tecta, domûsq; ruinâ oppressi ipsi filii, ad hæc omnia, at quanta mala! ulceribus percussi miseriq; corporis afflicta valetudo, nonne inopinantem unô eôdemq; tempore invaserunt, ad prosternendum fortissimum quemque satis valida, si non singula, omnia? Nec tamen ad effœminatos luctus generosum fortemq; animum potuerunt flectere ac detorquere, tanta rarissimæ patientiæ documenta dantem, ut non immeritò in stuporem concitarentur, qui audirent. Menippo Cynico amissio bonorum ad laqueum, Orodi Parthorum regi mors filii ad rabiem suffecit. Inde Stoicus inter cruciatus & tormenta gaudet, si doctrinæ consonat vita: alius ad minas Domini in ejulatus prorumpit querulus, & sub verberibus gemit. Quod si ergo nostrâ in potestate est, luctui frena vel restringere vel laxare, cur alimus dolorem, dum seipsum perimat & consumat? cur non

potiùs

potiùs omnem ſqualorem protinus ex corde ejicimus, exterminamus, evellimus? Dicentem audio, levare mala: fallitur, quisquis ſic ſtatuit: auget potiùs malorum vim, quàm levat. Hoc pallida facies loquitur: hoc malè affectum corpus teſtatur. Si quis tamen, quantumvis meliora monitus, planè velit decipi, non prohibeo. Blandiatur ſibi ſpecie ſolatii dolor, dummodo ætatem non ferat: inſpiret nocivum virus, dum non perſeveret. Et ſanè propiùs, quantumvis inſinuatus ille affectus, tandem ſatietate evaneſcit, cùm nihil furori ſuo dilaniandum perdendumq; reliqui fecerit. Pœnitebit eum aliquando domicilii, jam ad vaſtitatem deſolati, quantôq; idem impetu invaſerat, tantâ velocitate relinquet; etiam, cùm tenere volueris, emigrabit. Ubi jam, quod dolori quæſitum eſt? &, quod ſemper non eſt, quale eſt ſolatium? Non ergo priùs dimittenda eſt triſtitiæ rabies, quàm vulnera, quàm morbos, quàm damna intulerit, unde olim cùm receſſerit, tam grati hoſpitis ſuperſit memoria? O quantò melius, quantòq; glorioſius eſt, facere doloris finem, quàm exſpectare! hoc enim tolerantiæ, illud verò etiam magnanimitatis eſt. Ibi luctus homini, quod infra dignitatem; hic homo luctui, quod multò eſt dignius, dominatur. Nemo facilè, quod durum eſt, ſponte ſuâ ſuſtinet, quod-

quodq; moleſtum atque acerbum eſt patitur; niſi vel majus malum ſe evitaturum, vel bonum eximium ſe conſecuturum eſſe ſperet confidatq;. Quin potiùs humanæ naturæ inſitum atque infixum eſt odium illarum rerum, quæ perniciem & incommoda accelerant. Fugimus mala, non tantùm quæ revera ſunt, ſed etiam quæ eſſe videntur. Multis tædium virtutis, imò & horror aliquis, obrepit, dum aſperiori triſtioriq; habitu ejus, quàm ſuperbientis vitii imaginem contuentur. Inde ægrè, nec ſine dolore, ac nauſeantibus ſimiles, à voluptatum lenociniis ad virtutum aſpera ſe recipiunt. Alliciunt cætera vitia mortalium animos, adſcititiæ fictæq; ſvavitatis ſpecie, & ſub illâ venenum ſuum cuniculis inſidiosè occultant. Solus dolor doli fraudisq; expers non ſumit colorem, horridus, truculentus, inſuavis, naturæ contrarius, crudelis, aſper. Hinc rectè Menander:

Πολλῶν φύσει τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις κακῶν
Ὄντων, μέγιστόν ἐστιν ἡ λύπη κακόν.

Qui immoderatè, & diutiùs, quàm vel corporis robori, vel conſtantiæ animi, vel defunctorum conditioni convenit, ſuorum mortes lugent, quid faciunt aliud, quàm ut moleſtiſsimum ſuſtinendo affectum, nihil neque ad adquirendum ullum bonum, neque ad evitandum ullum malum, neque ad leniendum inflictum

ctum vulnus, neque ad diluendas ligandasq; cicatrices proficiant? Si sive lacrumis, sive suspiriis, sive aliis dolendi signis quidquam efficeremus: si vel defunctum in vitam reducere, vel cruorem sauciati pectoris abstergere, vel quocumque modô vacantem ex amici obitu locum supplere possemus: quis non omnes tristitiæ modos, omne lugendi genus tentaret, ac propiùs in animum admitteret? Sed nullos audimus, immoderatô superstitum amicorum luctu, mortuos, in vitam revocatos esse; multos è viventium numerô, nimiô mœrore anticipasse fata, & transiviſſe ad mortuos, videmus. Nam, ut est apud Senecam,

Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.
Recipit populos urna citatos.

Nonne ergo, non dicam, inconsultum, sed amentiæ proximum est, pœnas à se infelicitatis exigere, & mala sua augere? Si malum ingens est, per mortem suos sibi eripi, & à latere suo nunquam posthac videndos divelli: cogitemus, quantò pejus sit, depascenti corporis vires tristitiæ indormire, ac inconstantiæ signa dare, præclarasq; actiones, quibus adsuetus erat animus, & ad quas concitatissimô aliâs pulcerrimôq; studiò ferebatur, suâ culpâ sufflamina-

re. Si quid tamen ex intentione, vel ex diuturnitate luctûs sperandum est commodi, illud quàm sit exiguum, cogitemus, præ summô illô, quod incurrimus, aut cujus periculo exponimur, malô. Facit ad levandum nonnihil & evacuandum cor, quatenus mœrore oppletum est: sed cœterà, neque defunctis, neque nobismetipsis prodest. Nolis autem, DOMINE, subire acerbum dolorẽ, quem non spes demulcet ullius boni, sed metus majoris mali exulcerat; multò minùs longum esse voles, quod non solùm irritum, sed etiã noxium est. Si luctui TUO auctoritatẽ ab obtentu pietatis assumis, & grati esse animi putas, ademtæ Conjugis, cujus vita tota in commodis Tuis erat occupata, desiderium, cùm aliâ re non possis, lacrymis & singultibus indesinenter testari; vide, quàm falsâ imagine ludat optima intentio. An pietas, & non potiùs injuria est, quæ adversatur arctissimo amori, quo TE semper, dum viveret, complexa est, BEATISSIMA MATRONA? Quæ TIBI fuit

Gloria conspicuæ deliciumq; domûs;

eã TU in tormenta TUA, in cruciatus advocas? An oblitꝙ es, ut hilaris & blanda, ut amabilis TE semper excipere consueverit? quanta TIBI gaudia, quot recreationis vices pepererit? quô TE solamine tristem refecerit? quâ dulcedine mœstos vultus TUOS, si quâ tempestate

pestate turbarẽtur, absterserit? Eáne nunc TE cupiat immodicô mœrore contabescere, & paullatim confici ac consumi? Da veniam, DOMINE, liberiùs dissentienti, si minùs factũ probo. Barbarorum ille detestabilis & abominandus mos est, ut se in funere suorũ jugulent, & in defunctos se parum religiosos credant, nisi eorum exsuviis immolentur. Quid aliud faciunt, qui intemperatô luctu sibi morbos, sibi debilitatas vires, sibi immaturam mortem parant, quàm ut mortuorum piacula esse videantur? Absit, ut nos, qui Christianô nomine insigniti, veram nullisq; pollutam superstitionibus sectamur sanctimoniam, in tanti sceleris furorem præcipites agamur. Si vis, DOMINE, pius gratusq; esse in Defunctæ Conjugis manes, moderare dolorem; moderare, inquam, ac tempera. Hoc unum est, quòd sanctæ Maritalis leges amoris à TE postulant. Nônne si loqui Defuncta posset, ac permitteretur, hunc in modum TE in lacrymas effusum increparet? Quousque nec mei, nec Tui, nec meorum Tuorumq; rationem habes? Rogo obtestorq; TE per Tuum in me, per meum in TE amorem; rogo per dilecta nostri Conjugii pignora; ne nimiùm mœrori indulgeas. Quare angoribus totum corpus cunctosq; artus exedentibus TE maceras? An licet anticipare fata, quæ in

seriorem ætatem naturæ auctor moderatorq; sepo. suerat? Ubi autem meum pro longævâ Tuâ salute susceptum manet votum; si TE TIBI, si liberis Tuis Patrem perdideris? In his TIBI mei supereſt memoria; hos TIBI commendo; hos, quâ fide, quô amore, quâ curâ ego Mater prosequuta sum; Tu nunc orbos, amplectere, fove, tuere. Hæc castissimæ verba Umbræ nónne quantumvis tacita, quasi sonantia feriunt aures Tuas, quoties grata subit recordatio amoris Beatæ Conjugis, pectusq; gravi sauciatum vulnere à pervicaciâ luctûs repellunt? Cedant ergo affectus Tui, Defunctæ Conjugis & votis & piissimis suppliciis. Sin verò pertinaciter instas luctui, DOMINE, liceat interrogare, quare finem non facias? Ademtámne Suavissimam Conjugem Ipsius, an Tuâ, an liberorum causâ luges? Sed nihil horum facilè dixeris. Causa luctûs est miseria: at tantum abest, ut misera sit, quam luges, ut potiùs in illum locum statumq; sit translata, ubi æternâ felicitate fruatur, & perennantibus gaudiis perfundatur. Doles, scio, TIBI posthac carendum esse ejus consortiô, cujus ex consuetudine, ob insignis virtutis commercium, & honorem & voluptatem, & mille alios dulcissimos fructus capiebas. Est, fateor, deploranda atque irreparabilis jactura, semper divulsum ab eâ vive-

vivere, quam unam amabas; quæ unum TE redamabat. Non interim majus est illud Tuum damnum, quàm beatior est defunctæ vita: ferendum est illud, ut huic constet ratio. Magisne TE, DOMINE, an amissam Conjugem amas? Conjugem dices TE amare, TE desiderare: & revera hanc amas, hanc desideras. Quare ergo invides meliorem statum, in quem morte immaturâ pervènit, ob subtractum TIBI dulcissimum consvetudinis fructum? An hoc amantis est, malle, ut TIBI benè sit, quàm ut illi, quam amare TE dicis? Vide, ne luctus ille Tuus nimius, non tam sit Defunctæ Uxoris, quàm Tui ipsius amor. Amas enim eum, cujus ex obitu defuncti eventura luges damna: sed damna defunctæ non est cur lugeas, cùm illa meliore jam statu lætetur ac triumphet. Luges igitur propria damna; & proinde tantum abest, ut luctu illô TUO amoris nomen, quod affectas, assequaris atque impleas; ut potiùs in hostem Beatæ Uxoris videare conversus, dum, quam in vitâ tantopere dilexisti coluistiq;, huic post expleta mortalitatis fata, summum felicitatis fastigium, in quô nunc versatur, invides, TIBI, quòd non eadem, quæ ex ejus consuetudine, jam voluptas sit speranda. Socratem, cùm aliquando peroraret ad judices, inter alia, quæ pro more sapienter dixit, hæc aurea de mor-

te verba protuliſſe legimus: *Metuere mortem aliud nihil eſt, quàm falsò putare, ſe eſſe ſapientem: qui enim mortem metuit, videtur ignorare, quid ſit.* Præclara ſanè Ethnici vox, quæ, mutatis mutandis, etiam Chriſtianorum ſuffragium & plauſum meretur. Etenim ſi Viro ſapienti non convenit timor mortis, multò minùs Chriſtianis convenit. Verè dixeris, *Metuere mortem aliud nihil eſſe, quàm falsò putare, ſe eſſe Chriſtianum*: Chriſtianum, inquam, cui hoc præ cæteris gentibus Divinæ revelationis beneficiô datum atque conceſſum eſt, ut veram mortis conditionem propiùs inſpicere, & ignorare non poſsit. Nullum, amicorum funera deflentibus præſentius ad abſtergendas lacrymas remedium, nullum efficacius ſolatium eſt, quàm certa mortuorum felicitas. Quam etiam Ethnicis, Philoſophiæ cognitione imbutis, ſed obſcurè & deſultoriè, ex lumine rationis colligere, obvium fuit, & promtum. Nonnullis, ſola hujus vitæ mala reputantibus, ſine mortis examine ac librâ, occurrebat, cur mortem beatam judicarent. Seneca perſuaſurus Lucilio, non eſſe fugienda timendaq; ultimi tranſitûs tempora, hôc unô utitur argumentô, *nullum magnum malum eſſe, quod extremum ſit.* Scilicet arbitrabatur profundæ virî Sapientiæ, ſe illorum opinionem, qui mortem inter mala referunt, ſic ſatis

dilue-

diluere, si eam omnium calamitatum humanarum esse finem ostenderet. Est sanè maximis exposita mortalium vita ærumnis: ut non temerè Tullius, *homines luendorum scelerum causâ nasci, & in hanc lucem ingredi*, adseverârit. Horreo & consternor, si mecum reputo, quàm variis malorum ludibriis, quàm atrociter, quàm in omnes fatorum injuria desæviat. Quorum tyrannicô sub imperiô tam Reges, quàm privati; tam Principes, quàm subditi; tam opibus instructi, quàm pauperes; tam nobiles, quàm plebeji; tam gloriâ & virtutibus illustres, quàm obscuri, duriora perpessi, improbè gemunt. Primus mortalis vitæ introitus, in mille calamitates aperit aditum, quem ante effugere non licet, quàm ultimô fatalis momentô horæ mors ducentes ad eum semitas obstruxerit. Quid pestem, quid febres, quid innumera morborum genera referam? Quæ funera amicorum; Quæ inopiæ, sitis, inediæ mala; Quæ æstuantis solis ardores; Quæ immodica frigora excipiunt. Adde incendia urbium; adde delapsa cœlô fulmina; adde diluvia regionum; adde submersas pontô rates; adde concussas fragoribus terras; adde ventorum terribiles fremitus. Sed parum est, omnia elementa in nostras calamitates conspirare. Maximum homini malum ab homine imminet. Colliduntur perpetuis

petuis mortales inter se odiis, &, ut satis per se afflictam humanam conditionem, affligant magis exulcerentq;, velis remisq; nituntur. Inde bellorum furor, inde populorum strages, inde desolatæ civibus terræ, & nescio quid non, infestarum molitionum? Si quos Martis sævitia non prostravit; hos mutuæ dissensiones, hos invidia concivium, hos avaritia & tyrannis potentum perdunt. Auget culpa miseriam, cùm in cumulum calamitatum accedit, quod meremur. Premuntur perpetuò subditæ mortalium cervices delictorum jugô in hâc vitâ, quam non absurdè fabulosâ Tantali pœnâ adumbraveris. Sitimus in abundantiâ fontium, in copiâ ciborum de fame conquerimur: nemo suô fatô contentus est. Quis avaritiæ, quis ambitioni finem vel modum statuit? Quid ergo mirum, si ne umbram quidem veræ felicitatis, quam non amplitudine opum, sed tranquillitate conscientiæ, & satietate animi metiendam esse, veteris ævi sapientes sapienter tradiderunt, in his ærumnosis lubricæ vitæ præruptis non facilè quisquam assequitur? In quibus,

pejus inventum est siti
Arente in undis aliquid, & pejus fame
Hiante semper. Sisyphi numquid lapis
Gestandus humeris lubricus nostris venit?

Aut

Aut membra celeri differens cursu rotâ?
Aut pœna Tityi, semper accrescens jecur
Visceribus atras pascet effossis aves?
Et nocte reparans quidquid amisit die,
Plenum recenti pabulum monstrô jacet?

Sic Tragici verbis mihi liceat conqueri, de communibus humanæ conditionis miseriis, quas qui propiùs intuetur, facilè videt infelicem esse vitæ ingressum, qui viam ad illas aperit; beatum transitum, qui claudit.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit: subeunt morbi tristisq; senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Nonnullas gentes, refert Valerius Maximus, suorum natalem fletibus & lamentis, emortualẽ verò gaudiis & tripudiis excepisse. Mireris, Ethnicos, in densis quamlibet errorum tenebris, eò cognitionis caligantis rationis ductu processisse; ut vitam pessimam, & in pœnam mortalibus datam, nec nisi ob mortem expetendam esse judicarent. Quantò magis nos, qui Christiani sumus, quiq; divinæ revelationis lumine collustrati, vera illa bona, in quæ beata mors nos substituit, certissimâ spe fideq; præsumimus; eam non tantùm non in malis numeremus, sed quâvis vitâ feliciorem suavioremq; prædicemus? Animad-

verto, DOMINE, TE his non parum moveri, nec jam ampliùs de Amantiſsimæ Conjugis obitu, ſed de immaturo & præproperô vitæ terminô conqueri. Non invideo, inquis, illi mortem, quandoquidem fata explenda aliquando ſunt, quæ in meliorem vitam ex his ærumnis nos ducunt; ſed quòd in ætatis flore, quòd Optima Matrona, quòd ſuaviſsimis pignoribus ipſiq; Viro, & toti familiæ tam citò præripitur: hoc fleo, hoc lugeo, hoc animum pertinaciter torquet. Sed cogita, DOMINE, quot illa calamitatibus fuiſſet obnoxia, ſi diutiùs vixiſſet, quibus nunc poſt fata non afficitur? Quid? ſi morbis, ſi periculis, ſi futuris funeribus, multisq;, quibus ſera ac decrepita ætas involvitur, tædiis eſt prærepta? Nam niſi Juvenali fidem detrectamus:

Hæc data pœna diu viventibus, ut renovatâ
Semper clade domus, multis in luctibus, inq;
Perpetuô mœrore, & nigrâ veſte ſeneſcat.

Quamobrem, ut cum Cicerone loquar, ſi Ciceronis eſt, quæ ipſi adſcribitur conſolatio, *ſi dolorum finem mors affert; ſi ſecurioris & melioris initium vitæ; ſi futura mala avertit; ſi medetur præſentibus; ſi nos ex plurimis vel morborum, vel moleſtiarum, vel acerbitatum periculis educit; cur eam tantopere accuſare, aut dolorem ex eâ derivare velimus, ex quâ potius*

conſo-

consolationem, ac lætitiam haurire fas esset? Lugeantur eorum funera, qui nihil in hâc vitâ, ut Christianô homine dignum erat, gesserunt; qui ignobile ævum vel inertes in otiô exegerunt, vel in luxuriam voluptatesq; effusi variô scelerum dedecore maculârunt. *Quomodo fabula*, inquit Seneca, *sic & vita; non quàm diu, sed quàm bene acta sit, refert.* Quare sanctissimis animabus, quæ ita & ex præceptô Domini commissam personam in hujus vitæ scenâ egerunt, ut appetente olim, & lucis usuram interrumpente fatali horâ, lætâ virtutum conscientiâ securæ ad Creatorem evolare, & digna rebus in vitâ piè & innocenter gestis gaudia carpere possint, insignem facimus injuriam, si hujus vitæ periculis ereptas, & in tutô collocatas lugendas esse arbitremur. De Xenophonte illô Platonis æmulô legimus, quòd, cùm aliquando sacrificandi munere fungens certior fieret de morte filii, primùm ad tam tristem nuncium consternatus abjecerit coronam, quâ redimitus erat sacrorum cultor; mox autem, cùm illum, strenuè in pugnâ pro patriâ militantem, occubuisse audiret, eandem resumserit, lætior virtute & gloriâ, quàm morte filii tristior. Quantò magis Christianos, eorum, quos charos & dilectos in vitâ habuerunt, morte, si innocenter vixisse, & in meliorem sortem emigrasse

noverint, decet lætari? *Mors*, ait Divus Ambrosius, *si animæ noceat, malum videri potest: si nihil autem officiat animæ, ne malum quidem.* Cur Israelitarum Rex David mortem nequissimi filii Absolonis, cujus acerrimas persecutiones, & nescio quæ non improba odia erat expertus, acerbè tulit & luxit, non autem æquè alia suorum funera deflevit? Nisi, quia animæ illius infelicitatem præsagiit conclamata improbitas; hos verò beatè esse mortuos melior mens meliorq; vita spem fecit. Omnia quæ ex elementis constant, & ipsa quoque elementa, impetu quodam, ad convenientem suæ naturæ locum, tanquam ad centrum quietis, feruntur. Ascendunt levia sursum, gravia deorsum ad terram feruntur. Lapidem si projeceris, ex eminenti & editô locô, nisi vi interceptum & impeditum, non priùs adquiescere videmus, quàm in infimâ arenâ sedem invenerit. Sublime petit flamma, & ad cognatos ætheris ignes, quantum potest, properat. Flumina violentô & rapidô cursu in vastum & cunctas recipientem aquas Oceanum sese exonerant. Sic homines, (quibus

Igneus est ollis vigor & cœlestis origo,)

non ante desinunt miseri esse, & hujus vitæ jactari laboribus atque incommodis; quàm ad veræ quietis sedem deferantur, redonandi æternæ felicitati. Fallimur

limur certè, si ad usum hujus vitæ nos natos, atque in lucem hanc editos existimamus. Ecquid aliàs miserius homine, daretur? Cujus præ cæteris animantibus miserrima est conditio, quòd calamitatibus suis propiùs ad animum revocatis, angoribus se constringendum potest, cruciandumq; tradere. Teste M. Tulliô, *ex ipsâ vitâ discedimus, tanquam ex hospitiô, non tanquam ex domô; commorandi enim nobis natura diversorium, non habitandi dedit.* Quemadmodum in uterô matris ad hujus lucis usuram, sic in hâc mortali vitâ ad æternam beatitudinem præparamur, & tum demum verè vivere incipimus, cûm, obstetricante morte, ad immortalitatem renascimur. O beatam mortem! quæ nos ex ærumnosô exsiliô in veram patriam, ex terrenis tabernaculis in propria & cœlestia æternitatis palatia, perpetuò cum Salvatore nostro, cum angelis, cum sanctis victuros, educit! Generosa anima dum corporis velut carceri inclusa tenetur, nihil magis suspirat, quàm, ut quamprimùm ad ætherias arces evolare, & sese in sinum Dei, in quô solô, tanquam ultimô fine adquiescit, effundere possit. Quid dicam de Beatâ Conjuge Tuâ, DOMINE, quæ tam piè, tam innocenter, tam castè vixit, ut eam mortis nunquam pœniteret? Nonne sæpius ad autorem, ad cognatas sedes respectans, cum

Paulô optavit *dissolvi, & esse cum Christo?* Nunquam se passa est perituris rebus à summi boni contemplatione revocari & reprimi, mortua peccatis; mortua sibi; mortua mundo; ut viveret Deo. Considerabat, ut Seneca monet, *quàm pulchra res sit, consummare vitam ante mortem; deinde exspectare securam reliquam temporis sui partem.* Nunc ergo, cùm feliciter emigravit de vitâ, & ad Deum excessit, digna virtutibus præmia capiens, cur doles illam miseriis, quibus humana conditio exponitur, ereptam, & in meliorem statum eductameſſe? An putas, si posset reverti, illam redituram esse in has communes ærumnas? Fuit illi charus Maritus; fuerint dilecti liberi; sed charior Deus est. An dolore præpeditus, ut malis præsentia, quàm occulta & minùs obvia intueri, dubitas de felicitate statûs, in quô nunc degit? Audi, quod Scriptura TIBI suppeditat solatium, cùm dicit: Μακάριοι οἱ νεκροὶ οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες ἀπάρτι. Ναὶ, λέγει τὸ πνεῦμα, ἵνα ἀναπαύσωνται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν. Τὰ δὲ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν. O Beatam, & iterum Beatam mortuam! Si mortua est, quæ vivit in amplexibus Servatoris, in consortiô angelorum, in sanctorum cœtu, exspectans diem judicii, quâ, resurgente corpore, ad æternitatis gloriam reviviscat.

Nostra

Noſtra enim, quæ dicitur vita mors eſt, nec unquam vivit animus; niſi compage ſolutus corporis, liber æternitate potiatur. Téne ergo lugeamus, ut mortua n, ô Beatiſsima METTA KIELMANNIA, quæ vivis in cœlô, quæ vivis in liberis, quos dum ſuperſtites propitium Numen ſervaverit, Tu minùs deſideraberis, quæ vivis & ſemper victura es in memoriâ hominum. Multos quidem è cæteris, velut ignobiles & inglorios, oblivio obruet, & æternis involvet tenebris:

Te cuncta loquetur
Tellus, Te variis ſcribent in floribus Horæ,
Longaq; perpetui ducent in ſecula faſti.

Quare TU quoque adquieſce, DOMINE, in defunctæ virtutibus, & quâ nunc demum verè poſt fata frui incipit, in gloriâ ipſius, & felicitate. Deſine aliquando Conjugis funus fletibus irrigare, ne ſolus præclaros immortalitatis titulos, quos jam defuncta obtinuit, vel negare, vel Tuis querelis deterere videaris. Refert Plutarchus, Lacœnam quandam mulierem, cùm filium ſtrenuè in pugnâ militantem cecidiſſe audiviſſet, adeò nulla triſtitiæ ſigna de ſe dediſſe, ut potiùs glorianti ſimilis de fortitudine gnati, *nimirum ille meus erat*, exclamaverit. Magno id Tibi erit ſolatio, TE, cùm olim audiveris, quibus laudi-

laudibus quot spatia Beata Conjux peragrârit atque implêrit, posse tum gloriantis more dicere; *Nimirum illa mea fuit.* Nos quoque, quotquot Lares Cimbriæ tutelares veneramur, magnô videmur fastu tumescere, quòd, stupentibus ad Beatæ METTÆ virtutes populis, quos alius orbis genuit, superbâ & ad non vanam jactantiam compositâ voce, licet occinere: *Nimirum illa Holsatica, Illa nostri Patroni; Illa KIELMANNI fuit.* Cujus neque his temporibus, neque longiori eorum tractu circumscripta laus est, sed posteris & venturis post secula Matronis speciosa & vivida virtutis documenta præbet. Omnia, quàm cunctis sint majora elogiis, jam demum experior, postquam eorum vim stylo non dicam exprimere, sed qualitercumque adumbrare sum ausus. Si qua enim in me est dicendi facultas, si quod ingenium, si quæ industria, quæ quantumvis universa quàm sint exigua non ignoro; magnitudini tantarum laudum, edoctus confirmatusq;, minùs respondere sentio. Quò magis miraberis, DOMINE, quòd ego simplici scriptionis genere celebratam Beatissimæ Conjugis Tuæ à me memoriam, Perillustri Nomini TUO dicare atque inscribere, non trepidaverim. Sed nihilominus facilis etiam indulgentiam admissionis non dubiâ spe præsumo, cùm Tuæ huma-

humanitatis, tum argumenti fiduciâ, cujus ea & conditio est & dignitas, ut etiam sine verborum lenociniis, facilè possit Tuum favorem promereri. Nam aperit æternam beatorum felicitatem, prout est præmium constantiæ ac fidei; delectat oppositæ damnationis fugâ; mortem docet esse transitum ad meliorem statum; denique spem certam resurrectionis ad æternam gloriam perseverantibus proponit. Ecquid autem est, à quô in hôc acerbô fatô Tuô firmiora possis haurire solatia, quàm æternæ beatitudinis, in quam nunc emigravit Conjux Tua, futuræq; resurrectionis frequens & crebra contemplatio? Quam nobis in solatium commendat Apostolus, cùm post suavissima & melliflua de resurrectione verba subjicit ac concludit: *Itaque consolamini alii alios istis sermonibus.* Quam medicinam licet semper animo Tuo obversari non dubitem, credidi tamen posse aliquid momenti ad minuendum dolorem accedere, si hunc qualemcumque de novissimis Dei fatis tractatum, Beatissimæ Matronæ consecratum memoriæ, Tuo usui in præsentibus ærumnis aptarem. Quæ si me fefellit opinio, facilè patior, in hôc meô non omnino extra audaciæ crimen positô institutô, nîl nisi promtæ obsequia voluntatis probari; Deum Ter Optimum Maximum impensè veneratus, ut, qui

TIBI violentum vulnus inflixit, fatorum arbiter, idem ligare & abstergere mederiq; dignetur. Ille Perillustrem familiam Tuam ab omni sævientis fortunæ clade tueri, & prosperis florentium fatorum successibus cumulare benignè insistat: TE verò, in gaudium Principis, in emolumentum Reipublicæ, in incrementum KIELMANNIANÆ familiæ, in solatium liberorum, in decus Equestris ordinis, quàm diutissimè superstitem, incolumem, felicem, MAGNE KIELMANNE, servet sospitetq;. Hoc Principis, hoc Reipublicæ, hoc Patris, hoc generosæ Sobolis, hoc omnium civium, hoc meum denique intimô nuncupatum pectore votum est. Vale. Dab. Kilonî d. XVI. Sept. Ao. cIↃ IↃc LXXIV.

Tuæ Perillustris Excellentiæ

devotus Cliens

Petrus Musæus D.

ùm decorum & Christianô homine
Tuæ virtutis, Tuiq; sejuncti à mol-
pem Heroicarum virtutum fortitu-
animi est. Magna quidem fatorum
invidia, nec crudelitati dissimilis,
us tot senibus, tot effœtis fœminis,
Matronam in ipsô ætatis flore e-
in vultu tot virtutum signa, quot li-
antur. Si quod ergo virtutes obti-
gium, non dicam exemtæ, sed pro-
atis, productæq; in plures annos vi-
DEFUNCTA DOMINA, aut
, aut Nestoream ætatem consecuta
anticumque præ vitiis æstimatæ sunt
iam eô maximè differant, quòd illas
rces, hæc gravissima maneat pœna:
ura nascendi origine non distinguit,
ndi lege maturô consiliô æquavit, ut
tis & vitiorum inæqualitate hæc una
moriendi necessitas. Acerba sunt,
ta, DOMINE; sed non ita ad TE
etiam ad alios, contrà quàm erant
tu subinde devolvantur. Quis quan-
præditus, quantislibet rebus gestis cla-
t corporis formâ elegans, quis nata-